

anſeres, foedâſque alias domi haudquaquam alunt nec maſtant Japonii (in quibuſdam provinciis capitalis poena eſt, ſi quis bovem occiderit) etſi magna eorum ſit copia: ſed abhorrent ab eis carnibus, ſicut nos ab equina; ſi caro guſtanda ſit, ferina veſcuntur, venatione enim delectantur inprimis: ſed frequentius piſce cibantur, quo abundant, inprimis fluviatili trutta ſeu ſilare, & marina, ſeu aloſa: huic honos plurimus. In navigatione tamen Belgarum duce Oliverio circa totam tellurem facta legitur, Japonenſem navem ad Philippinas Inſulas tendentem petâſones quoque inter alias merces habuiſſe. Butyrum neſciunt, oliyo carent, factitio utuntur è cetis ad littus ejectis vel captis, quorum carnem quoque comedunt: Non ſunt autem tam vaſti hic ceti, quam in Atlantico mari & aliis, nec itâ pingua, cum quatuor tantum aut ad ſummum octo digitorum tranſverſorum latitudinem pinguedo faciat, carnis autem major ſit quantitas. Capiuntur ſingulis annis trecenta circiter, & attribuitur hic proventus à Cæſare dynaſtæ alicui. In epiſtolis Indicis Jeſuitarum ex Japonia ſcriptis frequens ſit mentio miſeri victus incolarum, & pro delicato cibo haberi putrida piſcium ſaſamenta, herbam quam appellant *iname*, item naſturtia, cæpas, &c. Sed hæc referenda ſunt deſtationi totius ferè regni, quæ fuit in ſeculo eo, quo Jeſuitæ ibi venerunt: etſi non negaverim, plebeios tenuiſſimo victu ſuſtentari etiam pacis tempore.

Cibum capientes curibus inſident ſuper ſtoreas, ut cap. prædictum eſt, idem quoque miniſtrantes menſæ faciunt: humilibus ideo utuntur menſis, ſed potius menſulis, cum ſingulæ menſæ unam tantum capiant patinam & novus cibus novâ apponatur menſa: in conviviis quoque ſingulis conviviſ ſingulæ dantur menſulæ. Munditiarum, inquit Maſſeus, apud eos haud minor quam apud Sinas cura: paxillulis duobus inter edendum itâ ſcienter utuntur, uti neque excidat quicquam, nec digitorum terſu opus ſit: tenuiores ad mare præfertim, victitant herbis, oryzâ, piſce: divites ad conſuetudinem Sinarum, ornant ſplendide atque apparatus conviviium: in ſingula ſercula, ſine linteis aut mappis mutatur ſua cuique convivæ menſa è cedro pinûve, palmi ferè altitudine, binum dodrantium quadro, nitidiſſima, lectiſſimiſque diſtincta coloribus: cibi conſecti in pyramidem extruuntur, auro conſperſi, cupreſſinis ramulis ad gratiam prominentibus: nonnunquam etiam roſtro pedibûſque inauratis aves integræ nobilibus patinis inferuntur. Et culinarum munditiem omnibus Japonenſibus communem eſſe teſtantur epiſtolæ p. 178. Hoſpitem & convivam hilare ac libenter accipiunt. convivandi ac propinandi multas habent leges cum ritibus exquisitis; hæc cuncti diligenter obſervant. Atque hæc de cibo. Ad potum quod ſpectat, aquam bibunt maxima pars calidam, frigidam pauci & raro:   
 uſum

uſum vitis ignorant (etſi Turſellinus vineas perpaucaſ eſſe ſcribat, neſcio quo autore) artem conficiendæ cereviſiæ itidem: ex oryza excoquant liquorem, qui ipſis vini loco eſt eumque ſaccharo vel melle ducem reddunt, ſed aduſtum vinum reſert, caputque petit. Ita ut citius opinione inebriet; appellatur *Mourſack*, ſæpius *Salf*. Inprimis verò ipſi non minus ac Chinenſes delectantur hauſtibus aquæ penè ferventis, inſpurſo pulvere *Tſiæ*. Herba eſt *Tſiæ* non tantum ipſa viridis coloris, ſed quemlibet etiam liquorem eo imbuens colore: in certis non omnibus creſcit regionibus: ejus quædam præſtantiora folia magno cenſentur pretio. Divites hæc in urceis duarum Hollandicarum menſurarum, vel quatuor, aſſervant: in ſingulis nimirum unum vel alterum optimæ ſpeciei \* injiciunt, & deinde accuratè orificium claudunt ad aëris ingreſſum prohibendum.   
 \* *Parvum ſuſciculum.* Teruntur illa folia in pulverem molâ ſimili huic, quam noſtrates ad ſinapi comminuendum uſurpant: atque hujus pulveris quantum acies cultri admittit, in aquam penè fervidam contentam ſicili paterâ ſeu ſcypho eleganti quales *porcellanas* vocant injiciunt & peculiari ad hoc opus instrumento commiſcent, ut tota aqua viridi colore tingatur: hoc factò, ſorbillando aquam calidam ebibunt. Saluberrimum hoc potionis genus & guſtu ſuave eſſe dicitur, inprimis pro delendis crapulæ præcedentis diei moleſtiis & omnibus pituitofiſ affectibus, & vulgus proverbio dicere ſolet de divitibus: *Illène ſanus non ſit? bibit de optima Tſiæ*. Pulvis ipſe magno pretio venit, ejuſque propinationem ſolennes præcedunt epulæ: quin etiam certæ ædium partes dicantur hiſce conviviis, quarum eſt mira mundities, nec in alios parent.

Circa eam potionem diligentiſſimi ſunt, ac principes interdum viri ſuis ipſi manibus eidem temperandæ ac miſcendæ, amicorum honoris cauſa dant operam. In ædium partibus huic miniſterio dicatis focus aſſidue ſtat, cortina è ferro liquato ſuperimpoſita: indè venientibus & abeuntibus amicis pocula porrigunt: hoſpitibus verò in digreſſu contemplandam etiam offerunt gazam, quæ apud eos maximi ſit: ea ſermè ſunt illius quam dixi potionis instrumenta, focus & olla cum tripode, infundibulum, ſigli ni calices, cochlearia & vaſcula, tum herbæ ipſi, tum pulveri qui ex ea conficitur aſſervando.

Sanguinem cibis miſcere averſantur, nec minus à lacte abſtinent, cum hoc nihil aliud, quam ſanguinem earum immutatum vel album eſſe dicant, quæ illorum opinio à veritate non eſt aliena.

## CAPUT XXIV.

## De Vestitu.

EX bombycino & serico panno vestes suas conficiunt, lanei lineique panni ignota illis textrina: pellibus cervinis præparatis, ut id quod nostrates vocant *scemstedder* vestes suffulciunt, estque eorum magnum pretium. Palliorum usus nec viris nec foeminis competit, cum extra ædes se proferunt: sed domi versantes illa gestant; ut etiam femoralia laxa, quæ prodituri deponunt. Omnes summi æquè infimique suo quisque gladio ac pugione succincti prodeunt, etiam pueri annorum XIV, et sive tum domi tum foris gestant, (narrante Xaverio in epistolis p. 236) & ubi cubitum discedunt, è cervicali suspendunt.

Amictus ab infantia ad juventutem sumunt varios, idque cum cæremoniis & solemnibus apparatu. Cæterum qui adulti jam sunt, talarem gestant versicolore tunicam ferè ut Poloni, sed variis florum & frondium picturis exornatam: hanc domi demittunt, prodituri autem in caligas infundunt, ad inum æqualiter laxas, easque circa renes levi subligant nodo. Tunicæ amiculum superinduunt breviorum (*quimonem* vocant) manicis non ultra cubitos eminentibus: hæc vestes per ætatem gerunt simplices ac subtilissimo textu: per hyemem scilicet densiores ac duplices, inserto item serico tomento vel gossypino, easque, nè incommode tumeant, perquam artificiosè perpungunt. Foeminarum stolæ etsi in aliis nostratium formam similem habeant, ita tamen propter insertum gossypinum tument ut non propendeant & liberè fluctuent sicut nostratium foeminarum, sed quasi ex dura & consistente materia factæ essent, immotæ manent. A tenera ætate assuescunt frigoribus & pluviis sustinendis, ideoque tam nobiles quam ignobiles levibus utuntur vestibus, caput nunquam tegunt, etsi crinibus omnibus detonsis sint, ut in præcedentibus diximus, & regio frigida sint. Calceis, crepidisque sine obstragulo, sandaliorum instar utuntur, corneo ad extremum extante hemicyclo, quem firmitatis causa primum inter & secundum inserunt digitum: conficiuntur autem ex stramine vel pellibus cervinis: easque ingressuri cænationes nè catastromata coinquent ante fores deponunt sine magno negotio.

Flabella gerunt, tum ad velandam faciem, tum ad auram colligendam, auro sericisque intertexta. Sub umbella ferè proceres aperto capite (is mos in omnibus viget Orientis regnis) in Sole pariter ac pluvia uterque sexus incedit. E coloribus festum habent nigrum atque puniceum, albus in luctu est.

De

De reliquis ad vestitum pertinentibus nihil reperio annotatum apud Scriptores: itaque hujus capituli brevitatem compensabit sequentis prolixitas.

## CAPUT XXV.

## De Eruditione &amp; artium tam liberalium quam mechanicarum conditione apud Japonios.

IN literarum studiis & liberalium disciplinarum cultu, totius Indiæ provincias adjacentesque Insulas Japonensium ingenia superant, nec Sinensibus inferiores esse videntur, sive diligentiam sive rationis acumen & sagacitatem attendas: Europæis tamen in omni Scientiarum genere inferiores minusque felices Contemplatores censendi sunt; utcunque multi annos multos meditationibus impendant, & eâ ingenii felicitate prædicentur à Jesuitis, ut ducem rationem facile sequantur: sine autem eâ haudquam aliquid recipiant. Vide Xaver. epist. p. 126 & seqq. & vitam Xaverii libr. IV. Sed hyperbolas non raro tum in hisce tum in aliis scriptis de longinquis regionibus adhiberi scito. In Theologia, si ita falsas de divinis opiniones & superstitiones appellare fas est, multa habent conscripta volumina, & sacris meditationibus magnopere vacant: dicemus autem de illorum Theologia altero libro. *Bonzii* appellati sunt jam olim illi omnes, qui studio contemplationis se dedissent monachorum vitam agentes & cœnobia incolentes, qui etsi sacra imprimis tractarent nihilominus tamen aliarum scientiarum curam non omittebant, sed studiis physicis, mathematicis, medicis, legumque & juris cognitioni se dabant, ita ut cœnobia illorum sint veluti Academiæ nostræ, (quemadmodum in primitiva Ecclesia & seculis, sequentibus apud Christianos ea ratio cœnobiorum fuit & apud Ægyptios olim idem observatum,) Itaque qui apud Græcos Philosophi, apud Persas Magi, apud Ægyptios Sacerdotes, apud Indos Brachmanes, apud Gallos Dryades & apud alias nationes aliis nominibus appellati sunt, hi in Japonia *Bonzii* dicuntur quo nomine etiam in epistolis Jesuitarum vocantur. Ex Academiis duæ præcipuæ fuerunt, Frenojamensis in monte Frenojama, novem circiter millibus passuum ab urbe Meaco ad Orientem remotus, altera Facusangin: Banduensis quoque Academiæ, quæ sexcentis passuum millibus à Meaco distet, mentio fit in epistolis p. 61. & Meacensis quoque Academiæ alicubi. Quomodo autem Frenojamensis &

& Facufangia à Nabunanga vastatæ & deletæ sint, dicemus capite secundo libr. 11 de rebus sacris. Xaverius p. 216. præter Meacensem scribit quinque esse. Academiâs circa Meacum modicis intervallis sitas, singulasque ter mille & quingentis circiter auditoribus celebrari, nempe Coyanam, Negruensem, Fiffoniam Homianam & Banduensem. Minores alias complures perhiberi.

Amplis redditibus gaudent Bonziorum collegia, propterea quod multi Magnatum & Principum filii, cum solus primogenitus paternæ dignitatis sit hæres, in ea ablegantur, ut in contemplationibus vitam transigant, fratricque felicitatem minus invidiant.

Jurisprudentiam, ut hodie ea vox fumitur, non habent ullis contentam regulis vel libris: ex insito naturæ lumine, rationisque dictamine vel etiam pro arbitrio suo potentiores jus dicunt: civilis juris formulæ nullæ, nulla responsa prudentum observantur, uno Principum responso litigantium causæ & controversiæ finiuntur: Bonziorum autem de Virtutibus legibusque contemplationes & disputationes non egrediuntur Philosophiæ Ethicæ aut moralis limites. Legis periti cujusdam, qui Christianus factus sit, meminerunt epistolæ p. 29. Medicinæ faciendæ medicrem habent peritiam, eam profitentes ex pulsu arteriarum imprimis de morbo colligere callent Indicationes, affectus & prognostica, medicamentis & compositionibus quibusdam plerumque pillularum formâ utuntur, sed non ea abundantia nec varietate, quâ Europæi, delectantur: radicis Chinæ proprietates & vires probe perspectæ illis sunt: Chirurgiæ verò imperiti sunt administratores. Aëgris salsa, acia & dura proponunt, dicente Maffeo; pisces & conchyliâ, pharmaca suavia & odorata: sanguinem nunquam eliciunt. Magnam autem esse Medicorum dignitatem videre est ex epistola Almeida, ubi narrat in urbe Sacajo Medicum quendam eximiâ eruditione atque existimatione virum, Christianam religionem suscepisse & filio item medico cedentem omnes opes & praxin medicam, Societatis Jesu membrum factum; retinuisse autem pretiosum ornatum corporis, quo antea incedere solitus fuerat magno comitatu stipatus.

In rebus physicis Bonziis quosdam admodum intelligentes esse commemorat Almeida p. 68. & aliis locis idem refertur: sed qualis sit eorum de rebus naturalibus scientia, de eo nihil annotatum invenio. Mihi Metaphysicorum more videntur disputationibus & argutiis potius vacare, quam veræ cognitioni: quandoquidem Astronomiæ ignaros esse nec minus Meteororum causas admirari scribit Xav. pag. 246. Nec mirum, cum Sinenses quoque in Astronomia, Physica & Medicina parum sciant, ut Maffeus l. vi. testatur. Animarum transmigrationem Pythagoricam multi tuentur, ut videre est in Tursell. p. 253. Mundi originem

nem nequaquam agnoscunt sed æternum esse putant. Nec quid in morali disciplina egregii præstare possint video, si animorum immortalitatem negant, quod Jesuitæ & ex illorum relatione Maffeus Bonziis attribuunt: sed mera hæc est calumnia. Alia enim sunt, ab ipsis Jesuitis scripta ex quibus manifestò colligitur, eos aliter hac de re sentire, ut libr. 11. dicitur. Et videntur Jesuitæ unius sectæ opinionem interdum omnibus Bonziis ascripsisse. Esse enim quandam sectam, quæ nihil recipiendum affirmet, quàm quæ sensibus cognoscuntur, Belgarum quoque annotationes testantur. Arithmeticam artem subtili ratione nec minus promptè quàm Europæi tractant: diverso tamen modo. Usurpant enim ad hoc tabulam aliquam, cui multi infixi baculi, in quorum summitate globuli hærent, non dissimile multum ei Instrumento, quod apud Chineses in usu est: hujus beneficio Additionem, Subtractionem, Multiplicationem, Divisionem, Regulam auream tam in fractis quam integris numeris expediunt magnâ celeritate: nec verò dissentaneum, Doctos alium quoque modum adhibere, quem enim retulimus, is negotiatorum est.

Etenim tam in nobilium quam civium multitudine multi sunt, qui artibus liberalibus, imprimis pangendis carminibus excellant, à Bonziis tamen informati: picturam autem quanti faciant, ex eo colligitur, quod quædam papyri plagulæ lævoris eximii, in quibus atro monochrome singulæ tantum aves arborifve, nobilium artificum penicillo pictæ sunt, carè vendantur; (Linschotius tribus & quatuor millibus aureorum interdum vendi scribit) unde etiam in thesauris nobilioribus habent picturas, ut capite xv in fine dictum. In Musica arte parùm vel nihil possunt: organa Musica, qualia nostra sunt, non habent: aliis quibusdam instrumentis symphoniam Europæorum auribus ingratam edunt. Refert Hagenerus, cum in urbe Jedo apud Cæsaris regiam esset, missum sibi esse cæcum quendam, qui harmoniam quandam fecerit instrumento, cujus longitudo & latitudo sesquiquadrantis ulnæ, ventrem habens quadrata figurâ, vesicâ vel tenui pelliculâ obductum, collum gracile & arcum ut nostræ citharæ: in eo quatuor chordæ ex serico contorto erant tensæ, quas officulo quodam plano tangens sonum excitabat, vocalem musicam addens, sed nulla suavitate.

In scribendo adhibent penicillos, & celeriter literas exarant, quibus ferè semper, si quid aliis indicari volunt, utuntur. Pro singulari arte ducunt, & valde in eo student, ut multas res, animique sensus paucis lineis comprehendant. Libellos supplices & alia scripta imprimis ad supremum magistratum deferenda, mirâ brevitate conficiunt, ita tamen ut omnia ad causam pertinentia complectantur. Quendam neophytum Christianum Japonium, unius

unius dimidiatique diei spatio descripsisse librum, foliis quinque & quinquaginta constantem de religione Christiana epistolæ commemorant p. 106.

De scribendi modo Xaverius ita loquitur p. 149. Japonese in scribendi ratione ab aliis differunt plurimum. Nam a summo orsi directo ad ima descendunt. Quærenti mihi ex Paulo Japone, Cur nostro more non scriberent? Quin vos, inquit ille, potius more nostro? Etenim ut hominis caput summum est, pedes imi: sic par est, homines cum scribunt, a summo deorsum directo ferri. Est tamen hoc illis cum Chinesibus & aliis populis commune, a quibus etiam literas illas, quibus libros scribunt, accepisse idem Xaverius refert. Aliud præterea genus literarum a viris, aliud a foeminis usurpari.

Eloquentiam verò Bonzii ita excolunt, ut populum suavitate & copia dicendi ad quælibet impellere possint, quod plenius cap. I. libr. seq. explicabitur, ubi eorum concionandi modus proponetur. Pueros quoque pro ætate dicendi peritos esse docet Turfellinus p. 340, ubi etiam exemplum ejus ponit hoc, quo Xaverium venientem allocuti sunt Procerum liberi: Felix tuus adventus, sacerdos sancte, adeo gratus Regi erit, ut infantis dulcissimi risus matri ubera præbenti. Enim verò ipsi parietes, quos conspicias, tuâ præsentia gestientes, tuum a nobis adventum ingenti studio ac favore celebrari jubent, idque in gratiam, gloriamque ejus Dei, de quo Amangucii mira quædam enunciaisse te, fama vulgavit.

Cæterum qui inter Bonzios magistri aut Doctores esse cupiunt, illi multos prius annos meditationibus impendere debent & deinde Principibus Bonziorum suam eruditionem probare. Laurentius, natione Japonius, sed qui primus ejus gentis Christianus & Jesuitarum Societati se addixerat, ita hac de re loquitur in epistolis, p. 61. In Bonziorum ordine magnum est nomen eorum, quorum eruditionem duo quidam ex Principibus suo chirographo comprobaverint. Ea veluti quædam canonizatio est: in sella constitutos adorant, eorumque approbationem scripto testantur. Ex eo tempore qui probati sunt, certos locos cæteris ad meditandum proponunt. Hunc dignitatis gradum adeptus Bonzius quidam Quenxu, qui ipsos triginta annos in meditando consumpserat: in charta præterea, & in eo aridam arborem depingendam curavit: ad arboris autem radices carmina duo descripsit judicium chirographo confirmata, quorum hæc erat sententia:

Prioris:

*Cedo, quisnam te serit arbor arida?*

*Ego, cujus principium nihil est, finis nihil.*

Poste-

Posterioris;

*Meum cor, quod neque esse, neque non esse habet.*

*Neque it, neque redit, nec retinetur usquam.*

Hæc Japonius, ex quibus conjicere datur, ipsos ænigmatibus & Emblematis excogitandis quoque incumbere. Frojus autem in ultima epistola narrat, duobus circiter millibus passuum a Meaco esse templum probandis & laureâ donandis, veteri Academiarum more scholasticis destinatum. In eo inquit, pulpitum vexillis compluribus è superiori parte pendentibus eminent lignum, in quod scalis tribus ascenditur. Est ibi mensa cum cathedra parata magistro qui actibus ejusmodi præsidet, itémque ad imum suggestum altera in usum discipuli, qui eo judicio probandus, insignibusque doctrinæ publicè decorandus est.

Templum autem ipsum lacertæ seu stellioni dicatum est, quem vulgò Deum & præsidem literarum & eruditionis existimant: huic nulla neque ara nec statua, ut cæteris Diis erigitur: in summo tantum laqueari, multiplicem convolutus in spiram ingenti orbiculari depingitur forma, ut scholastici dum eum supplices venerantur, oculos mentémque simul ad superna cogantur attollere. E regione alterius templi sunt ædes peramplæ, cælaturâ magnificâ: scholasticorum id domilium est.

Librorum magnum habent numerum, illisque instructissimas bibliothecas. \* Ad templum quoddam Meaci (\* Epist. p. 178 ) quidam peramplus œcus pensilis est, columnis quatuor & viginti, ulnæ unius & dimidiatæ ambitu superimpositus bibliothecam continet Bonziorum, tantâ quidem librorum copiâ ut vel fenestras ipsas propemodum obstruere videntur.

Neque id mirum videri debet, cum ad conscribendos libros promptissima sint eorum ingenia. Quidam Japonius, Christianus factus, commentarium elaboraverat, in quem & Cathedris explicationem & sacras conciones Japonico sermone retulerat: Is autem incendio periit. Idem de Japonico sermone in gratiam Jesuitarum grammatica præcepta conscripsit: iis duplex Lexicon addidit; in altero Japonicas voces, in altero Lusitanicas alphabeti ordine cum sua cujusque significatione prætexens. Sexto vel septimo mense, haud tamen idcirco intermissis concionibus cæterisque muneribus, eam lucubrationem absolvit, inprimis utique necessariam Japoniis excolendis. Alius quidam neophytus Christianus librum confecit, quò exorsus ab ipso mundi initio adusque Christi Domini nostri in terras adventum, historias sacras profecutus est, Christi inprimis cruciatibus singulis enumeratis. Itaque Ludovicus Frojus pag. 210, ita loquitur: Profecto hæc gentes naturæ bonitate, ingeniique præstantiâ multis Europæ nostræ nationibus antecellunt. Quod si minus magnificè de

de Japoniis vel sentiunt negotiatores vel prædicant, id nimirum idcirco fit, quod non nisi cum populis maritimis negotia contrahunt, qui ab interioribus tantum absunt vitæ cultu, morumque elegantia, ut præ iis rustici videri propemodum possint. Itaque per contemptum *sylvestres* etiam vulgo à Meacensibus appellantur, cum tamen alioquin ab humanitate ipsi quoque maris accolæ nequaquam abhorreant.

Fasti & annales Regni servantur Miaci apud Dairum, & hujus curâ etiam pertextuntur singulis annis. Magna quoque librorum pars à Dairi consanguineis & nobilibus aulae ejus, quorum vel octingenti sunt, & simul ab illorum uxoribus compinguntur. Etenim omnes ferè ii, qui cum Dairo sunt, tam viri quam foeminae, ab una eademque stirpe antiquorum Cæsarium sive Dairorum oriundi sunt & cognatione inter se invicem devincti. Et hoc tempore annuos redditus habent sat divites, ita ut de victu sibi prospicere necessum haud habeant, sed tantum ultrò allatis fruuntur: regni administrationi vel politicis rebus planè non vacant, sed in omni abundantia sine rerum mundanarum cura vitam agunt & Sapientiae studiis, librisque legendis, conficiendis, præparandis dediti sunt. Unde etiam singuli in hac aula pro eruditionis, doctrinaeque quam consecuti sunt, gradu, non habitâ ratione generis, nobilitatis, honorantur & splendidis titulis ornantur, quæ dignitas ad filios non transit nisi parentum eruditionem exæquent. Atque cum propter hanc suam eruditionem tum propter stirpis majestatem adeò inflato sint animo, ut reliquos hominumque ordines ipsùmque Cæsarem præ se contemnunt. Pars quoque illa urbis Meaci, in qua aula Dairi & cognatorum ejus habitationes conspiciuntur, mœnibus circumcingitur & ab reliqua urbe distinguitur: Peculiarem etiam vestium formam adhibent: nec vulgari Japonensium sermone loquuntur, sed diviniorem quandam & majestatis plenam dialectum usurpant, quâ libri Japonensium conscripti sunt. Notatu verò dignum est, quod Chinensium, Japonensium, Coreensium, & Tonquensium tam vulgaris quàm doctorum sermo nihil habeat commune, adeo ut ne verbo quidem unus alterum loquentem intelligat, & præterea in quotidiano usu diversos usurpent literarum characteres, unum tamen aliquod illæ gentes commune habent literarum genus, quibus scientias & disciplinas chartæ mandant. Hisce literis quicquid scriptum fuerit, diversarum illarum quatuor nationum docti & periti æquè bene intelligunt & legunt, sed suâ & propriâ unusquisque dialecto: indocti & vulgus nihil eorum vel legere vel lectum intelligere queunt: sicut nostrum vulgus Latinum ignorat sermonem. Eodem Augusto sermonis genere Bonzii & sacerdotes utuntur aliquando sacris operantes, ut auditores nihil eorum intelligant, sicut Pontificii latino sermone in Eccle-

Ecclesiis uti solent. De sermone Japonensium ita loquitur Mas-ficus: Sermo Japonensium unus & communis est omnium: sed ita varius idem & multiplex, uti plures haud immeritò videantur esse: quippe uniuscujusque notionis ac rei multa vocabula sunt, quorum alia contemptus, alia honoris causâ; alia apud principes, alia apud plebem, alia denique viri, alia foeminae usurpant. Adhæc aliter loquuntur ac scribunt; & in ipsa scriptione aliter epistolas, aliter volumina libròsque conficiunt: habent autem plurimos, tum solatâ oratione, tum elegantissimo versu conscriptos: porro notis utuntur ejusmodi, quarum singulae singulas vel etiam plures dictiones Ægyptio ac Sinensi more continent. Ad summum, à nostris haud imperitis rerum æstimatoribus, Japonica lingua latinæ vel genere ipso vel ubertate præfertur. Itaque ad perficiendum & magni laboris, & longi temporis indiget. Vilella tamen in epistolis non adeo difficilem esse Japonicum sermonem refert. Turfelliuss addit hæc: Nec licet cuiquam urbano in hoc genere esse negligentem. Si quid enim ab eorum ratione deflectas, tanquam homo imperitus ac rusticus ludibrio sis, haud secus quam apud nos qui in latina lingua barbaris verbis aures offendunt delicatas. Europæos vocant sua lingua *Cengheque* seu gentem de Cengecu. Literarum autem characteres à quodam Bonzio, nomine Combadaxi, ante nonaginta annos esse inventos perhibent: de eo in libro secundo plura afferemus. Ad anni formam quod attinet, menses currentes lunares observant, tredecim pro anno numerantes: ad anomalias autem corrigendas interdum septimum mensem, interdum novum duplicant.

Hactenus de scientiis & liberalibus artibus abundè pertractavimus, quas vel omnes vel magnam partem à Sinis accepisse Japonios valde est verisimile ex illis quæ in Xaverii & aliorum epistolis leguntur. Magnam quoque esse Japonum opinionem de binarum sapientia vel in mysteriis religionis, vel in moribus atque institutis civilibus, ex eo patet, quod Jesuitis objecerint, si vera esset religio Christiana, quid fieret ut id Sinæ ignorarent? Xaver. p. 232.

Restat ut de mechanicis pauca subjungamus. Harum autem plurimas in Europa vulgares, tum in Japonia tum in aliis Orientis regnis haud reperias. Pistores, futores, cerevisarii nulli inibi sunt. Modum candelas faciendi ignorant: pineas ipsi tædas & faces, alicubi etiam paleas ad lumen adhibet vulgus. Egregiam vero artem vitra, quibus nihil præstantius reperiri potest si fragilitatem excipias, fundendi, frustra quaeseris toto Oriente: solis Europæis ea gloria contigit. Hinc enim fit, ut nautæ ad littora Africae & quædam Asiae, ne Americam commemorem, appulsi pro vitro unius oboli sæpe integrum bovem, oves, aut magnam oryza

oryzæ copiam emerint, de quo tamen pretio hodie propter navigationum frequentiam multum detractum est. Septem hodie vel octo assibus Hollandicis venditur in Batavia Colonia Hollandorum in Java vitrum, quod in Belgio emitur uno assibus majus tamen longè pretium erit in Japonia, quia longè remotior est. Si quas habent speculares fenestras, eas vel a Lusitanis vel à Belgis vel ab Hispanis vel Anglis accepere. Hæ enim quatuor gentes ex Europa istuc navigavere, & de gloria navigationis certare videntur, etsi hodie Belgæ fœderati absque controversia reliquis palmam præripuerint. Insignis quoque artis automatariz adeo imperiti sunt, ut machinas tales istuc allatas ab exteris sine fine mirentur nec adspectu animum saturare queant. Ex omnibus verò artibus maximè callent eas, quæ in ferro aliisque metallis purgandis atque variis tum bellicis tum in alios usus instrumentis conficiendis versantur: Argenti fodinas scrutantur peritè satis, nec minus prudenter dividunt. Sub dio ferrum fundunt atque eò libentius, quo aer est frigidior: nimirum in vas intus undiquaque luto vel argillâ ad dimidii pedis crassitudinem obductum, ferrum deponunt, & maximo urgent igne vehementer spiritum sufflamantes, donec ferrum liquecat: deinde subsidentibus scoriis, liquatum cochlearibus exhauriunt & in varias formas fundunt subtiliori operatione quam ipsi Eburones. Unde gladios & pugiones eâ habent chalybis temperaturâ ut Europæum ferrum uno ictu rumpat, de quo jam alio loco meminimus: Campanis quoque non carent. Typographiam diu ante Europæos usurpârunt, non minus ac Chineses & simili artificio; nec vero absonum, eam à Chinesibus accepisse artem. Navigandi peritiam in illis non desideres. Nam & à multis seculis ad Chinam aliâque regna petenda mare sulcârunt, & hodie etsi Cæsaris Japoniæ edicto navigatio ipsis sit prohibita, clanculum tamen ad quasdam Insulas navigant: sed præcipuè piraticam exercent, & quidem non tantum circa alias Insulas, sed etiam in Euripis & fretis, quibus Insulæ Japonicæ à se invicem disjunctæ sunt, mare infestum reddunt, eo quidem animo ut potius quam in hostium manus deveniant, injecto igne pulveri tormentario, totam navim & seipsos cum ea momento comburant & in æthera mittant. Navium autem forma in multis diversa est ab Europæorum navibus, & nec firmitate operum nec artificio cum hisce comparari possunt. Omnes enim alias mundi regiones Europæi tum in aliis tum præcipuè in nautica & tormentaria arte provocant & laceffunt.

Naves Japonensium capacissimæ olim fuere ducentarum vehiculum (*Last* vocant nautæ) vela juncea aut arundinacea sive ex storeis: restes ex stramine: anchoræ ex ligno. Expedite tamen hoc instrumento navigare nōrunt. Nec desistuntur viris peritis

in aliis opificiorum generibus, cum & acuto sint ingenio & facile artes apprehendant.

## CAPUT XXVI.

## De Mercatura.

Negotiatorum magnus est numerus in omnibus Japoniæ provinciis, quorum non pauci opulentas possident divitias, plerique tamen in re satis tenti sunt, cum propter multitudinem aliorum alios lucrum præripiant vel corrumpant. In Sacajo tamen urbe, quæ totius non tantum Japoniæ sed & totius Orientis habetur ditissima, mercatorum infimi ordinis opes ad triginta millia florenorum ascendere legimus in Navigatione Oliverii. Exercent mercaturam vel cum indigenis vel cum peregrinis, qui istuc navibus merces vehunt & avehunt: olim quidem, imò ante viginti adhuc annos, tertio quoque negotiandi modo utebantur, nempe ut ipsi in alias terras navigarent mercaturæ causâ, qui sanè modus quanto plus ad lucrum faciat, quam priores duo, nōrunt harum rerum periti: sed hodie isto modo non licet illis uti, cum Cæsar omnem navigationem in alia regna subditis suis interdixerit. In Chinam soliti sunt frequentes quondam naves mittere, fuitque inter Chinæ & Japoniæ Cæsares amicitia certis fœderis legibus confirmata, ita ut singulis annis alter ad alterum Legatos mitteret honoris fœderisque renovandi gratiâ. Erant tunc temporis in China multi Japonii, & magnæ eorum pars sedes atque habitationes inibi fixerant. Hi aliquando, ut sunt audaci & feroci animo, excitati tumultus occasione totam aliquam urbem devastârunt, nec spoliâsse contenti, uxores insuper virginisque stuprârunt, reliquos incolas indignis modis tractârunt. Chineses tam petulanti & nefario Japonensium facinore irritati, factâ congregatione omnes illius sceleris participes, paucis fugâ elapsis, occiderunt. Cæsar Chinæ audito quod Japonenses tam pauci, (factâ cum incolis regni, in quo vivebant, comparatione) tantum facinus ausi essent & valuissent patrare, vehementer excanduit, totisque regno ab illis periculum creari posse existimavit. Ad præcavendum itaque, ne in posterum similia vel majora attentarent, omnes Japonenses regno suo eiecit & in perpetuum abstinere illo jussit. Atque ut hujus interdicti memoria eò diutius maneret animisque hominum firmitus præceret, magnam lapideam columnam erigi & in hac aureis li-

teris, ut melius legeretur, Japonensium excommunicationem ejusque causam cæleri jussit. Edictum quoque promulgavit sub pena mortis, nè quis Chinesium in Japoniam navigaret: quod tamen paucis elapsis annis gens lucri cupidissima non observavit, nempe in alia loca se ituros simulant & prætexunt, clam autem Japoniam petunt. Cæsar tamen Japoniæ par pari non retulit, sed Chinesibus liberum in suas ditiones aditum usque in hunc diem concessit, perpendens, quod Japonenses temerario & iniquo facinore Interdicti à Chinesi Cæsare profecti causam dederint. Exclusi ex China Japonenses instituerunt navigationes ad Tajovan, ubi à Chinesibus merces accipiebant, suisque permutabant, argento præcipue, cui Chineses supra omnium aliarum gentium cupiditatem inhiant: sed Cæsar Chinæ re compertâ prohibuit subditis suis illuc loci ire; itaque Japonenses hanc etiam navigationem tunc omittere sunt coacti. Ipse quoque Japoniæ Cæsar subditos suos navigatione in alias terras abstinere jussit. Cæterum aliquot elapsis seculis iterum illam ad Tajovan viam tentarunt & à Cæsare suo impetrarunt potestatem liberè navigandi ad Touckien, Cambodiam, Siam, Tajovan, ac pro hisce locis datæ sunt literæ tuti itineris, quibus etiam continebatur, quomodo in illis locis se gerere deceret, nè quid ejusmodi, quale in China factum fuerat, denuo committerent. Atque huc referenda sunt verba Xaverii (nam illius seculo circiter hæc conigerunt) quæ in epist. p. 218. invenio hæc: Japoniis in Sina sine ullo injuriæ ab indigenis metu aditus patere dicitur, acceptâ fide publicâ Regis Japoni, cujus secundâ voluntate speramus nos, si Deo cordi erit, usuros. Rex enim Japoniæ amicus est Sinarum Regis, & amicitia causa ejusdem annulum ac signum secum habere fertur, ut Japonibus in Sina proficiscentibus fidem publicam regio obsegnatam annulo tradat. Cæterum cum jam aliquo tempore hac navigatione usi essent, Cæsar ante annos viginti circiter certis motus rationibus literas illas tuti itineris irritas esse jussit vel ad se recepit, omnibus subditis mandans, nè in alias terras extra Japoniam vela facerent. Causa præcipua esse putantur: 1. quod videret, Japonenses suos injuriis abstinere vix posse, cum ante paucos annos in regno Sinarum prehensum ingenti flagitio Regem coegissent facere, quæ ipsi postulabant, & similia in Governatorem Tajovan patravissent. 2. quod arma ex suis insulis in alias regiones avehantur, cum tota Oriente ea maximè omnium celebrentur, & omnibus aliis præstentur, illisque freti Japonenses nihil ab exteris sibi timere necessum habeant. Exemplum dedimus capite de militia. 3. Tertia, eaque præcipua vel sola potius causa fertur esse, nè Japonenses in alia regna profecti Christianam religionem recipiant, eamque in Japoniam redeuntes propagare studeant. Quam crudeliter enim

& quanto conatu Christianismum introductum extirpaverint, & bodienum arceant, omnique prudentiâ caveant, nè denuo irrepant, dicemus libro secundo. A viginti itaque retro annis circiter usque in hunc diem Japonenses sua inclusi terra exterorum mercatorum adventum præstolantur, in alias autem regiones navigare illis haud licet per Cæsaris edictum. Non paucæ tamen naves Japonicæ (*juncos* vocant) hinc inde in Insulis Indiæ conspiciuntur Cæsaris mandato illudentes. Vel enim Inspectores corrumpunt vel illis clam vela faciunt: multi verò piraticam exercent, portus in adjacentibus Insulis habent. Qui autem ex aliis regnis in Japoniam navigarunt sunt, 1. Chineses. Hi enim à multis seculis naves istuc miserunt. Jam autem Tartaro Chinam maxima ex parte obtinente Chineses illam navigationem omittunt, quod & ante Tartarorum irruptionem ferè fecerant, cum Belgæ ipsis mare infestum redderent. 2. Siamenses & Cambodienfes unam vel alteram navem singulis annis solebant illuc mittere, sed illi quoque omiserunt, cum Europæi lucrum præriperent. 3. Lusitani primi ex Europæis anno 1542 Japoniam delati sunt, (ut cap. 1. dictum est) & sequentibus annis negotiandi causâ navibus eam frequentarunt, ut etiam Hispani Castiliani, qui ex Philippinis Insulis istuc venere, cum Lusitanæ Imperium ad Hispanum devolveretur: inprimis autem incolæ urbis Macao (quam unicam in China Lusitani habent coloniam, clam Cæsare Chinæ, ut in navigatione quadam Belgica lego) postquam Japonicum argentum oculos ipsorum ferriit, magnâ industriâ mercaturam istuc loci exercuerunt, nec minori lucro. Etenim cum antea pauperes essent, Japoniis commercii magnas divitias opesque sibi compararunt, ita ut splendidissima extruerent ædificia atque in omnium rerum abundantia ac voluptate vitam agerent. Iidem Lusitani & Hispani, sicut in omnibus aliis, quas adierunt, terris; ita quoque hic, non contenti mercaturâ, Christianam religionem introduxerunt, atque hoc tanquam medio, ut quidam aiunt, dominationem quandam vel Imperium sibi vindicare attentarunt. Id sive verum, sive falsum sit, certè Japonensium Cæsari delatum causa fuit, ut anno 1549 tam Lusitani quam Hispani omnes cum uxoribus & liberis expellerentur (cum persecutio sæva jam multos annos obtinisset, ut secundo libro dicitur) eisque in perpetuum aditus prohiberetur, cum jam antea præcedentibus annis castellum eorum dirutum, naves aliquot magnæ, quas vocant *Galiones*, vi expugnata, trucidatis omnibus Lusitanis, qui præsentem tamen animo se defenderant contra Japonensium multitudinem, & cruentam illis victoriam reliquerant. De religione Christiana quid actum sit, dicitur libro sequenti.

Cæterum Lusitani Macaoenses illecti lucro mercaturæ Japonicæ,

cæ, quod præteritis annis gustarant, etsi tam grandi damno & contumeliâ à Japonensibus essent affecti, semel tamen atque iterum minoris formæ naves istuc miserunt, sed nullo successu. Unde etiam factum ut urbis Macao splendor contabuerit, & magna pars incolarum, inprimis opulentorum eam deseruerit.

Etenim anno trigesimo septimo hujus seculi duæ naves majoris formæ, quas *Galeones* vocant, à Lusitanis venere in Japoniam, contra omnem hostilem vim tam armis quam militibus egregie instructæ. Petière, ut negotiandi tantum potestas redderetur: Japonenses responderunt, si facerent sicut Hollandi (id mox dicemus) datum iri quod peterent, aliâ verò conditione nequaquam. Id Lusitani, minus sibi honestum fore rati recusarunt: nè quid autem Japonenses timere necessum haberent, promiserunt se in terram descendere nolle, sed in navibus permanere atque in tabulatis seu foris merces suas velle exponere; venirent modò Japonenses, inspectisque mercibus argentum permutterent: Hoc quoque denegatum est. Itaque cum jam à Novembri mense usque in Februarium sequentis anni naves frustra in statione istuc steterint inspectantibus Hollandis, neque Japonenses impetum in illas facere auderent, etsi singulis diebus id futurum putaretur, abierunt nullâ re impetratâ. Anno deinde trigesimo nono duæ liburnicæ, (una è Macao, altera è Goa solverat) appulere: ambæ à Japonensibus denegatâ mercaturâ combustæ sunt. Hinc itaque abstinent Lusitani hac navigatione & commerciis Japonensibus. 4. Angli, quemadmodum alias regiones ita quoque hanc medii inter Hispanos & Belgas adiere, initio circiter hujus seculi: sed propter magnos navigationis sumptus, periculofum mare, & parvum inde reportatum lucrum paulatim omiserunt. Est enim sexcentis milliaribus ab Java, (neque enim ex Anglia continuo cursu illuc itur) remota Japonia: mare tum scopulis tum procellis & tempestatibus infame, ita ut quolibet anno quatuor vel quinque naves Societas Belgica illo itinere naufragio amittat; Præterea xx menses illud iter & reditus postulant: unde in nautas magnos sumptus. Et Xaverius in epist. tempestatibus illius maris incredibiles esse scribit, ita ut præclarè cum naviculariis agi videatur, si alternæ naves Japonicum teneant cursum. Idem ferè Maffeus habet. 5. Postremi ex Europæis venere istuc Belgæ anno decimo circiter hujus seculi, atque hi, reliquis omnibus semotis soli jam commercia exercent non sine magno lucro, quod tamen imminutum non parum est, cum non eâ, quâ in prioribus annis, libertate negotiandi fruuntur.

Eâ autem conditione hodie & à multis retro annis admittuntur, ut postquam naves appulerunt non tantum omnia ad explorationem tormentorum bellicorum necessaria instrumenta sed etiam gubernacula

gubernacula navium, Commissariis & Præfectis Cæsaris Japonici tradere teneantur, omnes præterea libros, si quos secum adduxerunt, arcas quoque & cistas, jussi, referare: abituris illa omnia redduntur. Insuper exercitiis Christianæ religionis omnino abstinere debent præsentibus Japoniis, adeò quidem ut nè manus quidem complicare ante cibum vel post assumptum audeant: si in hoc peccaverint (quale verò illud peccatum!) capitale est, imò navi mulctarentur. Etenim propter Lusitanorum conatus ita diffidunt exteris, ut etiam omnia tuta timeant, præsertim cum quid in aliis regnis tam ab illis quam à Belgis factum sit non ignorent. Atque hoc vel maxime ex eo tempore, postquam Belgæ etiam in Japonia sinistrè suspicandi causam de se dederunt. Etenim cum anno MDCCXL à Cæsare impetrasset potestatem extruendi ædificii tum pro reponendis mercibus tum pro habitationibus procuratorum & mercatorum Societatis, ipsi non tantum splendidissimam ædificarunt domum, sed etiam tali situ, & tam firmo opere, ut vel invitis Japonensibus ibi consistere & contra eorum vim se tueri ex ea possent: scilicet ut monopolium exercere (quod rei faciundæ optimum est compendium,) merciumque pretium Japoniis pro libitu constituere liceret.

Ad hoc autem vel inprimis opus erat tormenta bellica (magnum Orientalium populorum terrorem, quorum quidam omnino eis destituuntur, quidam ut Chineses & Japonenses etsi aliqua habent, minus tamen dextrè & promptè illis uti norunt) in extructa mole habere disposita: quæ quidem in navibus asfatim suppetebant, sed in terram exponere inspectantibus Japoniis non audebant. Quod itaque palam non licebat, id (ut à fide dignis accepi, penes quos fides sit) clanculum & arte machinantes, xylino sericòque panno involuta tormenta sub specie mercium inducere attentarunt, (quidam jam inducta narrant.) Japonenses jam ex conatibus Lusitanorum cautiores facti, & quibus ipsa ædium moles & structura suspicionem movebat vel invidiam, adeò attentis ad omnia Belgarum opera erant, ut eorum consilia & machinationes facilè olfacerent. Cæsar delato ad eum Belgarum molimine perquam ægrè tulit, nec diu cunctatus præfectum quendam accersit: Illi mandat, ut assumptâ militum magna cohorte ad Belgas festinet eisque imperet ædes nuper extructas demoliri: si imperata facere recusent vel minimum causentur, omnes trucidet. Erat eo tempore Procurator Societatis Belgicæ in Japonia Caronius, qui à pueritia ferè in ea vixerat, ideòque & Japonicæ linguæ & morum legumque gentis apprime gnarus erat. Is de ira & mandato Cæsaris ab amicis clanculum præmonitus, accepto eo, cum resistendo nihil aliud se effecturum videret, quam ut in perpetuum Belgæ aditu Japoniæ



arcerentur, respondit Præfetto præter opinionem, Belgas Cæsaris voluntati placitisque tum in omni alia re tum in præfenti obtemperare debere. Illico cœperunt Belgæ magnificentum hoc ædificium, quod vix dum annuo ferè labore & ingentibus sumptibus extractum erât, diruere, promptitudine admodum ipsis ingrata, quodque in multa secula duraturum speraverant opus, uno non anno superstes fuit. Causam Cæsar prætexuit hanc, quod Belgarum illa moles superaret structurâ & firmitate operis omnes suas arces & palatia. Cæterum placatus prompto obsequio, concessit liberam illis negotiationem ut antea, sed diligentiori curâ illorum facta observari curavit. Japonenses quoque ex illo tempore ferociores facti non amplius Belgis permittunt, mercium pretium augere vel imminuere pro libitu: sed ipsi potius hoc jam sibi sumunt: unde fit ut & minus lucrosum hodie sit, illud commercium ac ante illa tempora; Octo tamen circiter auri tonnas pro lucro annuo Belgis largiri dicitur, cum vel quinquaginta lucrandi spes olim esset, ut ex literis Prætoris sive Gubernatoris Generalis, quæ Descripti ni Caronii adjunctæ sunt, conspiciere licet. Eas autem in latinum vertere non putavi operæ pretium. Nangasacque urbs est, & parva Insula: ibi jam in adjacenti minori Insula, quæ Kisma dicitur mercaturæ suæ sedem sive emporium habent, concessio ipsis ædificio, quod Lusitanorum quondam templum fuit, pro reponendis mercibus: Antequam hunc occupassent locum, (quod anno M DXXI factum) ad Insulam Firando naves solebant appellere, ubi & portus commodus est, & mercatura feliciter administrari potest, utrumque locum & alia tenuere olim Lusitani. 6. Denique duobus jam proximè elapsis annis Tartari quoque triginta circiter naves ex China (quam fere totam occuparunt) in Japoniam misere, commerciorum causa, cum antea ex Tartaria sua nunquam illud mare fulcare suscepissent.

Merces, quas peregrini (Belgæ pro tempore soli) singulis annis advehunt, incolisque argento commutant, sunt varii generis: præcipuæ verò, multa panni sericei, xylinique volumina, magna serici nondum texti & diversorum colorum copia: ducenties mille circiter cervinæ pelles, cannabis, pannus lineus, lana rubra, vestes, argentum vivum, saccharum, aromata, vasa porcellana, ebur: præterea rajarum exuviae, seu pelles appellare mavis, centies mille quotannis. Rajæ enim in mari Indico capiuntur nostræ regioni consuetis longè majores: caro minus edulis: cutis autem detracta exsiccatur & pro merce optima in Japoniam avehitur. Etiam optimæ notæ quæ sunt, illæ vel sexcentis florenis singulæ venduntur: præstantia autem censetur ex numero lapillorum, *oculos* vulgo vocant qui in cute rajarum conspiciuntur. Adhibent illas incolæ ditiores ad gladiatorum vaginas obdu-

cendas, atque ita eas laccâ additâ præparant, ut egregiè niteant & objectorum imagines non secus ac specula reddant: in his multum superbiunt.

Japonia vero largitur & exterorum naves onerat oryzâ candidissimâ, inprimis verò argento aliisque metallis, auri non ita multum suppeditat: insuper margaritas, & corallia rubra & gemmas quasdam exhibet. Istitis alliciunt ad se avaros homines.

Emporium celeberrimum totius regni est Meaco, ad quam ex omnibus reliquis provinciis & Insulis negotiatores comitant, mercésque convehunt & avehunt, atque huic labori equorum magnus numerus mancipatur, cum his regio abundet, & quidam mercatores trecentis miliaribus ab urbe Meaco remoti sint, via colibus petrisque molesta.

Dynastæ, qui maritimis præfunt ditionibus, peregrinorum commercium avidè appetunt & ad suas singuli provincias allicere student: quam ob causam priori seculo Lusitanis multum concessere juris, immunitates templorum exstructiones. Sed hodie Cæsar Belgis loca assignavit, quibus naves appellere debeant, reliquis abstinere jussit.

Nullum solvunt vectigal mercatores tam pro iis quas advehunt, quam pro eis quas avehunt mercibus.

## C A P U T XXVII.

### De Moneta.

NUMMUM multis abhinc seculis à prudentibus Rerumpublicarum administratoribus introductum esse ad commodiorem & paucioribus controversiis obnoxiam mercaturam, vitæque communis usum, nemini arbitror ignotum esse. Unde videmus, in omnibus regnis, ubi quædam Reipubl. forma est, monetæ curam haberi à supremo Magistratu. Quemadmodum itaque apud nos; ita quoque in Japonia tria metallorum genera monetæ cudendæ materiam præbent, nempe aurum, argentum & cuprum seu æs. Aurea triplici est differentia, quarum magnitudo, valor, auri puritas discrepant. Quæ pondus maximum habet, illa æquat valore quadraginta octo *tailas*, ut vocant, quarum una æstimatur quinquaginta septem stufis Belgicis, hoc est, imperiali & septem insuper quinquagesimis partibus ejus. Itaque monetæ hujus aureæ nummus æquiponderans sex nummis Hispanicis, quos *Reales* appellant, valet quinquaginta quatuor Imperialibus, triginta

ginta sex stufis. Minimus nummus aureus (cujus ordinis decem æquiponderant quinque Realibus) æquivaleret uni tailæ & sextæ ejus parti, nempe Imperiali cum triente feré. Qui verò medio inter hos loco est aureus nummus, illi tailæ sesquifex attribuuntur, pondus autem talium decem nummorum æquat nummorum realium sesquifex pondus. Atque ita aurea moneta se habet apud Japonenses. Ex argento sine accurato ponderis examine fundunt laminas æquales ad opinionem seu conjecturam. Harum tot sumunt, ut quinquaginta tailis æquiponderent exacte, easque involvunt charta molliuscula, ac ita in unum fasciculum collectas sibi mutuo tradunt ementes vel solventes, ut non tam moneta, quam argentum ad libram expensum dici mereatur. Minorem quoque argentearum laminularum speciem habent, quarum, ut priorum, certum numerum fasciculis comprehendunt: ita ut eorum aliqui uno asse Belgico, alii pluribus usque ad denarium numerum æquiponderent. Ante aliquot lustra usurpabant minimam nummorum formam, ex argento fufam, dictam *Castens* sive *Caxas* velis dicere (hoc genus in omnibus Indiæ adjacentibus Insulis reperitur & frequentissima in usu communi est, variæ autem ejus tum in diversis, tum in eisdem regnis species sunt) quarum mille faciebant octo asses Belgicos, vel plures usque ad viginti sex.

Cæterum cum propter magnam eorum multitudinem & varietatem infinitæ fraudes ab avaris in eis fierent, Cæsar Coubofamma eas abrogavit & quæstoribus suis mandavit, ut reciperent à subditis & colligerent omnes tales obolos, solverentque pretium æquivalens, imò majus aliâ monetâ. Substituit autem pro eis cupreos obolos sive Caxas, qui jam in rebus minoris pretii emendis adhibentur, non minus ac priores argentei, sed non ita obnoxii fraudibus.

Atque hæ monetæ, nullæ aliæ, totâ Japonia in omnibus provinciis usurpantur, quemadmodum etiam una eademque in omnibus locis est mensurarum tam liquidarum rerum quam aridarum magnitudo.

## CAPUT

## CAPUT XXVIII.

*De Morbis & Funeribus.*

Pleraque genera morborum, quibus nostra corpora afficiuntur, Japonios quoque invadunt, minus tamen frequenter: plurimis validæ & constantes vires ad canam usque senectutem perdurant. Sed admodum infamem reddit terram foedus morbus lepra, sive Elephantiasin appellare placet, qui ibi est Endemius. Cum admiratione, inquit Hagenerus, vidimus hic leproso tum magnum numerum, quibus & manuum & pedum digitos putredo consumpserat, quorundam faciem quoque mirè foedaverat. Separati ab aliis habitant extra urbes & pagos in tuguriolis, atque miseram vitam in magna egestate trahunt. De aliis morbis nihil invenio annotatum.

Dynastâ aliquo mortuo, plerunque decem, viginti, triginta, plures aut pauciores, prout multos fideles ministros & subditos habuerit, voluntariam sibi ipsis mortem consciscunt, ventrem scilicet secantes. Horum plerique regnante adhuc Domino ad hoc leti genus se obstrinxerunt. Etenim ubi se amari à Dominis sentiunt aut singulari præ aliis favore & beneficio afficiuntur, gratiarum actioni hæc solent adjungere verba: Clementissime Domine, magnus est fidelium vobis subditorum numerus: ecquid igitur ego officii præstiti, quo hunc præ aliis honorem promeritus sim! Corpus hoc, quod vestrum tamen est mancipium, dono vobis in compensationem, & promitto quod non diutius quam vestrum vitam frui debeat. Quo voto facto, ad ejus confirmationem more gentis bibunt vinum suum factitium ex patera. Nec enim ullos contractus, quibus superbierint pateram vini, licet frangere. Istam autem lethiferam ventris sectionem peracturi, convocant omnes suos cognatos atque cum eis templum aliquod ingrediuntur, ubi super stercas discumbentes in medio ejus postrema vice convivuntur & liberaliter se invitant. Quod cum affatim est factum, secant sibi ventrem decussatim ita ut intestina effluant: animosiores etiam fauces præscindunt sibi. Et vel quinquaginta hujus sectionis modi esse dicuntur, aliis alium observantibus.

Mortuos, vel sepeliunt vel comburunt prius & combustorum cinerem tantum terræ mandant; utrumque faciunt sacerdotes Bonzii multis adhibitis cæremoniis & solennibus ritibus pro dignitate, quam defunctus, dum viveret, obtinuit & pro magnitudine opum relictarum. Si enim hæredes sumptus in sepulturam faciendos expendere nequeunt, defuncti nocturno tempore clanculum

lum sine cæremoniis humantur. De sepulturis luculentus est locus in epistolis p. 194, ubi Frojus ita loquitur: Japonii ad memoriam sui nominis propagandam illud vel maxime pertinere arbitrantur, inanis gloriæ cupidissimi, ut quanto maximo apparatu pompæque vitæ functi sepeliantur. Funerum autem & exsequiarum in urbe Meaco ritus ejusmodi est. Horâ circiter, antequam domo efferatur cadaver, amicorum turba vestitu quàm optimo ad rogam anteit, mox propinquæ ac notæ mulieres progrediuntur amictu candido, (color ille funestus est) versi coloris velo caput obductæ: Familiam etiam pro suis quæque facultatibus ducunt, albo item ornato subserico. Quæ verò dignitate atque opibus præcellunt, cedrinâ singulæ magnifico apparatu & artis eximie lecticâ vehuntur. Secundo loco incedunt pedibus viri permulti sumptuoso vestitu. Longo deinde intervallo Bonzium earum superstitionum antistes auro sericisque refulgens, lecticâ gestatur amplâ & præcelsa pretiosi operis, Bonzii stipulatus ferè triginta parasatis linteatisque, atro superindutis pallio textu pertenui: tum cineraceo quidam vestium colore (nam is quoque funestus est) accensâ prælongâ pineâ face, demortuo (ne offendar, erræve ignarus viarum) iter monstrat ad pyram. Huic Bonzii ferè ducenti succedunt, nomen concinentes dæmonis ejus, (Dei) quem defunctus in vita præcipue coluit: simul etiam ingens catinus ad rogam usque tintinnabuli vice pulsatur: tum chartacei duo perampla & expansa figura canistri præfixi hastilibus, chartaceæ item rosæ varii coloris copiam continent: quas qui gestant, tardiori procedentes gradu, sic hastilia subinde concutiunt, ut flores illi paulatim in speciem pluvie decidant, ventoque flante spargantur: eum videlicet imbrem argumento esse aiunt, mortui animam ad paradisi gaudia penetrasse. Post hæc autem, octo primâ lanugine Bonzii, divisi bifariam, prælongas arundines cum vexillis cubitalibus, quibus item idoli nomen inscriptum est, per terram averfa trahunt cuspide. Tum iisdem insignes literis, ardenti inclusa candela decem laternæ feruntur, obductis velo pertenui lateribus. Adhæc juvenes duo cinereis vestimentis pineas præferunt faculas, dodrantium trium longitudine, haud tamen accensas, quibus deinde rogo flammam injiciant. Eodem vestimenti colore permulti sequuntur, verticem capitis adoperti exiguis admodum pileolis mento subligatis, à nigro fulgente corio, formâ triquetra, (quod apud eos honoris indicium est) iidem schedulâ insignes, capiti affixâ, in qua nomen ejus, quem dixi dæmonis legitur: quod ipsum quo magis celebretur, ponè certus homo tabellam ostentat cubiti longitudine, dodrantis latitudine, albo velo tenuissimo tectam, inscripto ex utraque parte eodem illo nomine literis aureis. Tum demum à quatuor viris lecticâ sedens magnificâ defunctus ipse gestatur in

in veste candida, demisso capite, junctisque precantis habitu manibus, ad cæterum amictum, extrema toga papyracea superadditur libro exarata, quem Deus ille suus, cum in terris ageret, scriptum reliquisse perhibetur, cujus præsidio meritisque vulgo se compotes fore salutis existimant. Cadaver filii subsequuntur quàm elegantissimo cultu corporis: quorum natu minimus pineam item fert facem ad ignem pyræ inferendum. Extremum agmen est magnæ hominum multitudinis, iisdem quæ modo dixi, pileorum insignibus. Ut ad locum exsequiarum perventum est, Bonzii universi & cætera simul turba cum strepitu æramentorum catinorumque horæ spatio dæmonis illius nomen magnis clamoribus invocant. Deinde hoc maxime modo fit cultum. Area quadrata satis amplâ, cancellis eminentibus & velo crassiore ita præcincta est, ut singulis in quatuor cœli plagas januis introitus pateat. In medio fovea referta lignis, tecto eleganti opere ex undulata materia super eam excitato, duas habet e regione mensas, vario ciborum genere (piscibus tamen exceptis & carnibus) præsertim verò carycis, medicis malis, placentis affatim extructas. Stat etiam in earum altera vaporarium vasculum sufficienti causa prunis impositum, & lignum aquilanum in disco. Ut igitur eo devenit, lecticæ vinculum injicitur e fune prælongo, quem, qui adfuit, certatim manu apprehendentes vociferantur, ut diximus: postea totum septum introrsus terna lustratione circumeunt. Deinde lecticâ pyræ superimpositâ, Bonzium earum cæremoniarum antistes cæteris effatus, quod circumfusa turba nequaquam intelligat, accensam faculam ter supra caput in orbem idcirco circumagit, ut eo significet gyro, defuncti animam nec originem habuisse, nec vero finem habituram esse aliquando. Rotatam inde faculam abjicit: hanc duo ex defuncti filii cognatise arreptam stantes ad lecticæ latera, ad solis ortum alter, alter ad occasum, super cadaver ipsum mutuo sibi, quasi honoris & officii causa ter ubi porrexerint, deinde in lignorum fruem injiciunt. Superinfunditur oleum statim, cum aquilano ligno & aliis odoramentis, prout copiam suppetunt, magnoque incendio corpus in cinerem vertitur. Interea filii ad mensam accedunt, & aquitano ligno in vaporarium indito, solenni suffitu parentem quasi jam ad cœlestium numerum ascriptum supplices venerantur. Adoratione peractâ, merces laborum Bonzii pro dignitate persolvitur: Antistiti quinque vel decem vel etiam viginti aurei nummi, cæteris vel argentei deni viritim, vel certus caxarum numerus: prandium verò paratum (amicorum ac Bonziorum turba dimissa) vel busti ministris, vel pauperibus, ulcerosisque relinquitur. Postridie liberi cum affinibus, & amicis ad rogam reversi, cineres ossa, deceptisque demortui in vas inauratum imposita domum referunt, ipsumque vas veste contactum in

in mediis ædibus locant: frequentes adfunt iterum Bonzii ad privatas exsequias, eadẽmque septimo die denuo repetuntur: deinde translati certum in locum cineres terræ mandantur, quadrato imposito lapide, in quo ductis à summo ad imum usque majoribus literis, nomen describitur dæmonis, quemcunque demortuus in vita coluerit. Indè continuis diebus ad sepulchrum se filii conferunt, ibi spargunt rosas, ibi calidam apponunt, ut habeat defunctus unde sitim levet. Nec solum die sed mense etiam & anno septimo privatos intra parietes eadem funebria iusta recurrunt, ingenti videlicet Bonziorum faginâ, crebrisque vindemiis. Omnino in hæc funera à locupletioribus impensa fit aureorum trium circiter millium, à tenuioribus ducentorum trecentorumve: nam quorum tanta est inopia, ut funeri sumptus desit, eos per noctem ac tenebras nullo apparatu vel pompa in sterquilinum abjectos humi defodiunt. Hæc Frojus.

Cœmiteria conspiciuntur adjuncta templis in collibus seu locis elevatioribus, sepulchra ad duorum pedum altitudinem lapidibus cingunt, floribusque & ramusculis infixis ornant, quod etiam postea sæpius repetunt, cum memoriæ & honoris ergo sepulturam visitant, ubi quoque oryzzæ paululum & aquæ in excavato lapide deponunt, quod deinde vel à pauperibus vel à corvis interdum aufertur. Quibusdam sepulchris, ditiorum nempe, parva columna lapideo opere imposita est, in qua sepulcorum eo busto nomen legitur.

FINIS.

A P.

## A P P E N D I X

ad descriptionem

# Regni Japoniæ

continet hæc.

1. *De Dairi Japonici ad Casarem adventu.*
2. *De Regno Siamensi.*
3. *Historiam quandam Persicam.*



## A P P E N D I X



Arratio de magnifico & splendido apparatu, usurpato in urbe Meaco, cum Dayrus Japoniæ ad Cæsarem invensum veniret, die xxv Octobris Anni MDC xxvi conscripta per *Conradum Crasmerum*, qui eo tempore ad dictum Cæsarem nomine Societatis Belgicæ Indiæ Orientalis ablegatus erat atque omnia ipse adspexit. Conversa in latinum à Bernhardo Varenio.

Anno MDC xxvi die xx Octobris, postquam Cæsari & regni Consiliariis solennes cum consuetis cæremoniis honores præstitissem, rebus meis expeditis, data est mihi abeundi potestas & valedixi tam Cæsari seni, quam juniori, senis filio. Mirabantur omnes, quod Cæsar nos non tantum admisisset sed etiam responsum dedisset ante instantis diei festivitates, quandoquidem præparandis illis, quæ ad hæc requirebantur ad adventum Dayri, valde intentum & unice occupatum esse sciebant: & neque Siamenses neque Lusitani Legati auditi essent, sed legationis proponendæ dies dilatus donec peracta esset hæc festivitas. Cum itaque legatione peractâ cognosceremus, diem pompæ isti destinatum appropinquare, non poteramus à nobis impetrare, ut illis non conspectis abiremus, præsertim cum ad commorandum invitaremur à Dynasta Firandensi & Kackuseymondonne.

Die xxiv Octobris circa vesperam contulimus nos cum omnibus nostris ministris ad aulam Cæsaris, in cujus vicinia locum conduci curaveram, ut Cæsares, Dayrum & omnes regni Japonici Proceres prætereuntes commode contemplerer; quo loco debui tota hac nocte permanere propter magnum hominum affluxum.

Die xxv, simul ac illuxerat, incredibilem hominum turbam videbamus in via & circa eam, quæ à Dayri aula ad Cæsaris palatium tendebat. Ea erat candicante arena insperfa & complanata; ab utroque latere lignei clathri & milites tam Dayri quam Cæsaris dispositi (omnes induti oblongis albis tunicis, capite gestabant nigram lacca oblitam galeam, armati duobus gladiis

diis incurvis, quos acinaces vocamus, & una Nanganetta (sive Japonica hasta) arcebant populum & liberum carpentis atque equitatus servabant iter. Et enim jam ante duos dies ex omnibus Japoniæ regionibus confluerat huc populus: fluvii & fossæ circa viam hanc sitis tabulata inædificata erant, impleta spectatoribus & tabernariis.

Ut ad rem veniamus: Primò multi ministri tam Dayri quam Cæsaris ibant & redibant cum multis lecticarum bajulis, qui suppellectilem & sarcinas Dayri (inclusæ erant magnis quadratis cistis nigra lacca oblitis, in quarum tegmine pulchræ picturæ & aurea insignia) ad aulam Cæsaris portabant, eosque multitudo hominum comitabatur.

Post hos, quadraginta sex lecticæ, quibus Virgines honorariæ uxorū Dayri portabantur. Hæ lecticæ eleganti artificio factæ erant ex albo ligno, altitudine unius ulnæ, extrinsecus laminis ex flavo cupro munitæ & foliaceis picturis exornatæ.

Parvo dein intervallo aliz viginti & una ejusmodi lecticæ (Norrimonne vocantur in Japonia) sed nigra lacca oblitæ & deauratæ. Hæc aliz sequebantur viginti septem numero: altitudo singularum unius ulnæ, deauratis januis & fenestris: in quibus præcipui aulici Dayri ad Cæsaris palatium ferebantur. Atque hæc stipabant centum & octo satellites albis vestibus.) Horum tergora premebant viginti quatuor nobiles equites vestiti & armati non aliter ac si ad pugnam descenderent, caput tecti parvâ nigri coloris mitrâ cum nigra crista. Vestes, tunica cum magnis & laxis brachialibus, femoralia prolixa & angusta ex serico viridis, cærulei, albi, varisque coloris, & aureis argenteisque filis opere Phrygio intertextis: ocreæ parvæ lacca oblitæ, aureis striis. Arma a latere gestabant inauratos acinaces, sagittas & arcum. Circa medium cincti pretiosis & itidem opere Phrygio textis tæniis latis, quarum extremitates de equis ex utroque latere dependebant. Equi omnes formosi parvis capitibus & auribus, stricto ventre, ephippia inaurata vel lacca oblecta: pretiosi pulvini partim Phrygio opere, partim masculosis tygris pellibus superinducti: reliqua ad equorum exornationem pertinentia omnia ex sericis filis rubei coloris concinnata: fronti inaurata cornua addita: juba aureis argenteisque filis in multos nodos coacta & cum reticulis ex rubro serico & longis ligulis dependens ad pectus & lumbos. Pro ferreis soleis gestabant calceos ex rubro serico textos. Singuli equi a duobus ministris ducebantur & illis præferebantur duæ magnæ umbellæ egregiæ, & simul Nanganetta sive oblonga hasta, cujus acies seu ferrum obductum rubro & nigro panno. Comitabantur singulos octoni satellites albo vestitu, armati juxta gentis morem duobus gladiis incurvis

curvis. Hic equitatus decenti ordine bini & bini ab aula Dayri ad Cæsaris palatium procedebat.

Vehebantur post hunc in tribus splendidis & magnificis carpentis tres primariæ Dayri uxores. Carpenta singula alta erant quatuor ulnis, longa duobus, lata unâ, jucundis aspectu exornatæ imaginibus, lacca & auro splendentes: ab utroque latere tres fenestræ, quarum duæ pretiosis tapetibus obtegebantur. Ingressus in hæc carpenta erat posticus, non aliter ac portæ palatii alicujus. Cohors prætoriana utrumque latus stipabat. Infra fenestras reliqua nigra lacca erant obducta. Rotæ carpentorum latis deauratis marginibus, scalpibus eleganter tornatis quibus concharum margaritiferarum particulæ insertæ, quæ in circumrotatione supra nigram laccam talem jaciebant splendorem, ac si rotarum circumvolutionis speciem speculum quoddam ad oculos nostros reverberasset. Tegmina carpentorum erant rotunda, in anteriori & posteriori parte habebant fastigia (quemadmodum in palatiis Japonensium quoque conspicitur) quæ magnificè erant exornata vermiculato opere insertis concharum margaritiferarum particulis, anguli omnes obducti aureis laminis sed ipsum tegminis laquear nigra lacca erat oblitum cum insignibus Dayri inauratis. Singula carpenta trahebant duo robusti & grandes tauri non castrati, qui rubris reticulis ex serico tecti erant & singulis ducebantur a quatuor satellitibus albo vestitu. Æstimabatur carpentum unum ex illis septuagies millibus taylis Japonicis (in moneta Bataavorum, centies & nonagies novies millibus florenorum) Utrumque latus tegebant multi ministri longis tunicis albi coloris & armati. Post singula carpenta inauratum scabellum & par solearum lacca illitarum ferebatur.

Tum aliz lecticæ viginti & tres factæ ex albo ligno, obductæ laminis ex flavo cupro, in quibus ministri uxorū Dayri sedebant singuli stipati duobus satellitibus & quatuor bajulis.

Hæc succedebant sexaginta & octo nobiles Dayri, equis vestiti, vestiti & armati eo, quo in præcedentibus dictum est, modo, bini & bini ordine, quos comitabantur multi ministri, satellites, hastati & mancipia.

Cum prætervectus esset hic equitatus, sequentia portabantur.

1. Duo scabella inaurata, quorum anguli laminis aureis tecti.
2. Machina ignivoma artificiosè parata & exornata.
3. Egregiæ magnitudinis & magni pretii pyxis nautica.
4. Duo eximia candelabra ex auro.
5. Duæ magnæ columnæ ex ebena.
6. Tres quadratæ formæ & minores pugillares ex nigro ebena angulis auro coopertis.
7. Quatuor pugillares majores nec minori pretio.

8. Duæ aureæ & capaces patinæ.

9. Par solearum laccâ obductarum.

Deinde insequabantur duo magna & elegantia carpenta ejusdem formæ & pretii cum eis, in quibus uxores Dayri vestas esse antea dictum est: sed in exteriori laqueari insignia Cæsaris magnis aureis circulis inscripta cernebantur. In primo curru sedebat Cæsar hoc tempore regnans, cujus nomen, Sadosienminamo Tonosindelanda: in secundo Cæsar junior, sive filius Cæsaris regnantis, regni hæres, nominatus, Oeudesienminamo Tonoyuemyt-samma; Præcedebant hæc carpenta nobilium octoginta piara, qui armati erant singuli duobus acinacibus & unâ Nanganetta, atque hi satellites erant Cæsareæ Majestatis, dicti *Sambreys* lingua Japonensi, omnes robusti & fortes viri, quantum ex aspectu exteriori colligere licebat: Quatuor etiam pretiosæ inauratæ umbellæ, quatuor item viri gerentes manu baculos quadratos ex ebano: quatuor alii ferreis hastis ad arcendum à via populum.

Hi omnes ordine decenti ante carpenta incedebant, ducebantur etiam ante ea duo egregii equi cum ephippiis sumptuosè atq; splendide exornati: juxta incedebant ad utramque plagam octo viri armati sagittis arcu cum duabus oblongis hastis.

Dein succedebant fratres Cæsaris & filii cum omnibus totius regni Japonici Proceribus, equis omnes insidebant, vestiti & armati eodem omnes modo, quem in præcedentibus commemoravimus, nisi quod alii aliis sumptuosius & magnificentius quilibet tamen juxta dignitatem & nobilitatem. erant numero centum sexaginta quatuor, ex quibus priores decem, ita vocabantur.

Owarny Cammy Samma, frater Cæsaris regnantis.

Quyne Deymangon Samma, frater ejusdem.

Matlammenemoet Nocanny Samma, itidem frater.

Matfendeyro Thuycufenocammi Samma, Dominus in Canga admodum potens.

Matfendeyro Moutscroammy Samma, Satsumadonne sive Dominus in Satsuma.

Matfendeyro Iondonne.

Matfendeyro Symcoutsquedonne.

Matfendeyro Quonne nochwucheo.

Turogano deynangono Cammy Samma, Senior Pr. Cæsaris junioris.

Myttotchonango Samma, frater Cæsaris regnantis.

Hi nominati decem Proceres proximè Cæsarum carpenta sequebantur eo quo enumeravimus ordine & quidem unusquisque solitarius, sed pro dignitatis gradu & opum magnitudine quilibet comitatum habebat nobilium, hastatorum, satellitum & mancipiorum.

Hosce sequebantur reliqui Magnates centum quinquaginta & quatuor,

quatuor, quorum bini ordine equitabant & quidem honoratiores minus honoratis à sinistra juxta gentis hujus consuetudinem: namque sinistra hic dignior habetur quàm dextra. Ex hisce Dynastis præcipui erant, ouwaydonne, supremus in Consilio Cæsaris junioris. Hic equitatus decenti ordine iter faciebat cum insigni pompa, equis superbis & magni pretii, qui saltantes viam consciebant.

Dein ducenta armatorum paria incedebant, candido vestitu, Tum sex nova elegantia carpenta, dimidiam quidem magnitudinem priorum æquantia sed non minoris elegantia, quæ singula ab uno tauro non castrato trahebantur: in illis pellices Dayri sedebant.

Post has sexaginta octo nobiles equites bini & bini stipati multis ministris & mancipiis: unum etiam carpentum, in quo qui à Secretis Dayri, vehebatur, eumque comitabantur triginta septem nobiles equites. Sequentes quoque lecticæ, in quibus quidam ex præcipuis Dayri aulicis erant.

1. Quindecim lecticæ e nigro ligno, cui æbur insertum.

2. Tredecim aliæ e nigro ligno sed auro atque laccâ exornatæ.

3. Octodecim aliæ totæ nigricantes ex lacca.

Post hæc sexaginta quatuor magnæ inauratæ umbellæ cum multis bajulis & ministris, qui alternatim humeros oneri submittebant.

Dein incedebant quinquaginta quatuor nobiles singulari vestis genere. Hi erant Dayri Musici. Portabantur cum his Instrumenta Musica, nempe fistulæ, Gommæ, pelyes, tympana, tintinnabula & alia in chordis harmoniam habentia, in nostris regionibus incognita. Denique post Musicos ferebatur Dayrus sedens in magna quadrata lecticâ seu domuncula, quæ ex omni parte trusatiles habebat januas in singulis lateribus fenestellam, cum tapetibus e serico. Domuncula hæc alta erat unius ulnæ cum dimidia: tegmen rotundum, in ejus medio aureus globus, cui gallus insitebat ex mero auro factus, passis alis. Insignis quoque ejus domunculæ erat elegantia & pulchra aspectu, variis circumcirca exornata picturis, anguli laminis aureis obducti. Laquear cerulei coloris erat, appictis stellis cum Sole & Luna. Quinquaginta viri portandæ huic domunculæ electi erant, omnes e nobilitate Cæsaris, vestiti albis oblongis tunicis, nigris mitris. Hos anteibant viginti paria nobilium versicoloribus vestimentis fere ad morem antiquorum Romanorum cum Europæis galeis, hi erant satellites Dayri, singuli armati Nanganetta, quæ tota inaurata erat. Post Dayrum equitabat unus e præcipuis Dayri aulicis armatus ut priores, manibus gestans clypeum formâ Lusitanici circeri seu navis majoris in cujus media parte infixæ erant

multa tela: simul quadraginta magnæ umbellæ tectæ subtili li-  
neo panno (ita quidem Belga loquitur sed quia lini præparati  
illic locorum ignota est, intelligit bombycinum album) ad fatel-  
lites Dayri pertinentia. Tum tredecim magnæ laccâ oblitæ cistæ  
portabantur à bajulis. Agmen claudebant quadraginta circiter  
viri, singuli albo vestitu, distributi in membra, quæ feni & feni  
faciebant.

Simul ac Dayrus & ejus Comitatus aulam Cæsaris ingressus  
esset, vespera aderat. Populus qui tam in tabulatis, quam do-  
morum tectis confederat (maximus numerus puellarum & nupta-  
rum foeminarum) ruebat in plateas singuli ad ædes suas festi-  
nantes. Hæc incredibilis hominum multitudo hac vespera & to-  
tâ nocte propter continuas pressuras & equitatus impetum exci-  
tabat adeo terribilem fremitum & strepitum per totam urbem  
Meaco, ut metueremus ne tumultus oriretur. Namque multi in-  
ter pressuras defatigati adque terram lapsi pedibus aliorum con-  
culcabantur: alii ab immixtis turbæ nebulonibus trucidabantur  
& quidem propriis suis armis, nempe brevibus acinacibus, qui  
in turba illis evaginabantur latente autore.

Quidam itaque necati, multi vulnerari, alii suffocati. Etenim  
semel in terram detrusus non valebat se iterum erigere sed conterebatur  
à turba. Sequenti die in platea conspiciabantur multa cor-  
pora mortuorum partim virorum, partim foeminarum, partim pu-  
erorum.

Multi mariti non infimæ fortis desiderabant uxores suas, alii  
filias, quarum quædam ex urbibus Osacca, Saccay & aliis vici-  
nis locis venerant, & aliquæ harum ne post quatuordecim qui-  
dem dies repertæ sunt: unde conjectura nata fuit plurimis,  
quasdam ex illis à nobilibus Dynastarum tenuis fortunæ clan-  
culum stupratis fuisse: quoniam hi nocte visi fuerant nudi præ-  
ter ventrem panno tenui tectum, in media turba, quod nequitiam  
illorum detexit.

Meacensis Magistratus magnam mercedem constituerunt ei, qui  
posset illos indicare: sed quoniam à Magnatum ministris, ut sus-  
picio erat, patratum erat, nemo detectus est. Plurimis sarcinæ  
& vasa in pressura adempta sunt, quemadmodum Teroseymon-  
donne qui à secretis erat Dynastæ Firandensi. Hic etsi oculis  
suis adspectaret virum ministro suo adimentem cistulam e corio  
(vocat Fascombacque) pretii octoginta florenorum circiter, im-  
pedire tamen id non poterat, quandoquidem satis negotii habe-  
bat tenens hastam manu in defensione corporis sui. Quibus-  
dam equis venter scindebatur: lecticæ, in quibus vel uxores vel  
nobiles portabantur domum, à nebulonibus in terram dejectæ sunt,  
bajuli vulnerati, insidentes lecticis spoliati.

Nos quoque cum ministris nostris conferebamus nos in viam  
inter

inter turbas, quandoquidem admonebamur, quod in tabulatis non  
sine vitæ periculo per noctem commorari possemus. Itaque è  
duobus malis minus eligere cogebamur. Cum in medio pre-  
mentis turbæ essemus, adeo, urgebar, ut per integram plateam  
pede in terram haud defixo deportarer à populo: tandem tamen  
omnes sine aliquo damno (quo nomine omnipotenti Deo maxi-  
mas agimus gratias) devenimus in diversorium nostrum, cum jam  
tenebrosa nox esset.

Dayrus cum omnibus suis uxoribus tres dies & noctes in pa-  
latio Cæsaris commoratus est, ubi Cæsar ipse & hujus fratres  
ei ministrabant. Cura præparandarum dapum pro Dayro deman-  
data erat hisce proceribus: Sugadonne, summus iudex regni &  
metropolis Meaci Iuocamosamma Coberythomysamma: Naca-  
moramocki emonsamma Mannosabroye monisamma. Singulis vici-  
bus sercula centum & quadraginta apponebantur.

Præparandis verò cibus pro tribus primariis uxoribus Dayri, quæ  
in tribus primis carpentis vehebantur, præfecti erant hi proceres;  
Ouwaydonne, supremus è Consiliariis Cæsaris senis: Iuemon-  
donne, Senator: Farimadonne: Quiniemon-  
donne: Sioyferodonne, & Chi-  
rotadonne.

Junior Cæsar Dayro hæc dona obtulit.

1. Ter mille laminas argenti, singulas quatuor taylorum; quæ  
faciunt florenos tricies quater mille & ducentos.
2. Duos pretiosos acinaces inauratos & aureis laminis obductos.
3. Ducentas pulchras tunicas e serico juxta Japonensium morem.
4. Trecenta volumina serici panni.
5. Viginti serici crudi.
6. Fructum Calambacq, longum duas Ickios (unus Ickius æquat  
tres ulnas) crassum unius ulnæ.
7. Quinque magni urcei argentei pleni Musco.
8. Decem elegantes equi cum eis quæ ad equos pertinent.

Idem Cæsar Secretario Dayri donavit.

1. Trecentas laminas argenti.
2. Viginti Japonenses tunicas ex serico.

Cæsar parens Dayrum his affecit muneribus.

1. Ducentis Paris auri; singuli æquant pretium quinquaginta qua-  
tuor argenteorum.
2. Centum tunicis ex serico, sumptu magno factis.
3. Duobus magnis argenteis ollis melle plenis.
4. Quinque Cattis Calembacq.
5. Ducentis voluminibus rubri serici.
6. Quinque ollis argenteis cum Almufquier.
7. Quinque elegantibus equis cum necessariis rebus.

F I N I S.

H 4

DE.



DESCRIPTIO  
Regni Siam,

P E R

IODOCUM SCHOUTENIUM, qui  
fuit in illo Director mercaturæ nomine Soci-  
etatis Belgicæ Indiæ Orientalis, aliquot an-  
nis, & anno MDCXXXVI hæc scripsit  
Belgico sermone.

Translata in Latinum

P E R

BERNHARDUM VARENIUM.



D E S C R I P T I O  
R E G N I S I A M .

**S**IAM celebre regnum est & magnum, situm in Continente Asiæ versus polum septentrionalem ab Æquatore, ubi circa decimum quartum gradum ab eodem Æquatore terminatur ad inclyta regna Pegu & Ava. Ab Occidente habet Sinum Bengalem à Martavan usque ad septimum gradum, ubi incipit versus Austrum se extendere & adjacent illi regna Patany & Queda à Bengalesi sinu ad Patanensem: dein versus septentrionem se extendunt littora usque ad decimum tertium cum dimidio gradum.

Hic enim efficit sinum Siamensem, & deinde ad Austrum excurrit littus usque ad duodecimum gradum, atque mare linquens versus Ortum attingit deserta Cambodiæ & regna Iangoniæ, Tangou & LangsLangh (retineo deditâ operâ verba auctoris) usque ad decimum octavum latitudinis gradum ad regna Avæ & Pegu: ita ut dimidiatam seu semiplenam Lunam regio hæc Siam referat, habens in circuitu non pauciora quam 40 & 50 milliaria Germanica.

In diversis quidem locis regio hæc montibus aspera, fruticibus confita & in maritimis paludosa existit: pleraque tamen loca plana, terra argillacea, abundans variis ferarum & cicurum animalium speciebus, ut & avium, interfluentibus hinc indè fluviis & rivis piscosis. Circa littora ad Bengalem & Siamense mare, multæ sunt Insulæ, sinus, stationes navium, portus & flumina, quæ non tantum parva sed etiam majora navigia admittunt, quemadmodum hæc satis jam cognita & mappis quoque inserta conspiciuntur. Itaque particulari descriptioni supersedebo & paucis tantum annotabo præcipui fluvii conditiones & frequentatum omnium maximè navibus peregrinorum portum.

Fluvius hic (apud Siamenses dicitur Menam, quod in ipsorum lingua significat Matrem aquarum) magnus est, mediocris latitudinis,

dinis, à longè remotis locis huc decurrens: origo incolis incognita, fluens à Septentrione ad Austrum celeri cursu per regna Avæ & Pegu & diversas provincias Siamis; tandem tribus ostiis in Siamense mare cum impetu ruens: cum celeberrimo Gangete in India & Nilo Ægypti in proprietatibus convenit. Singulis annis semel exundat propter copiam aquæ quatuor vel quinque mensibus supra totam planitiem regni, quæ exundatio incredibilem fertilitatem oryzæ gignit, simulque terram infectis & foedis excrementis purgat. Maximum ex tribus ostiis versus Orientem à reliquis duobus jacens frequenter à navibus petitur, jacetque inter decimum tertium & quartum latitudinis septentrionalis gradum. In sinus Siamensis interiori parte situs est transverse ante introitum pulvinus longitudine integri milliaris, ubi in abitu maris, quinque vel sex tantum pedum aquæ profunditas est, sed cum incremento maris maximo quindecim vel sedecim pedum: in mensibus tamen Septembri, Octobri, Novembri quibus fluvius se in terras effundit, solet septendecim vel octodecim pedum altitudo maris inibi esse. Hoc evitato pulvino duobus circiter à terra milliaribus maximæ naves quæ portum intrare nolunt, jactis anchoris ad quatuor, quinque vel sex ulnarum profunditatem, fundo argilloso existente consistere possunt sine periculo tempestatum: sed quibus fluvium navigare placet, illis pulvinus, de quo dictum est, superandus est cum summo aquæ incremento, atque sic sine aliorum brevium obstaculo usque ad oppidum Bankock (sex milliaribus ab ostio fluvii remotum) vela faciunt: supra hoc oppidum sit angustior fluvii alveus & pluribus pulvinis, inprimis tribus magnis infamis, quos tamen transmittere possunt navibus, quæ non profundius, quam undecim vel duodecim pedibus in aqua merguntur, atque hæc quinque vel sex diebus urbem primariam, dictam India, quæ viginti quatuor milliaribus ab ostio fluvii distat, attingunt: mensibus tamen Septembri, Octobri & Novembri propter fluvii contrarium impetum ad iter hoc conficiendum requirentur tres vel etiam quatuor hebdomades.

Regnum in omnibus regionibus incolarum multitudine gaudet, aliæ tamen aliis provinciis magis, præcipuè circa fluvios & in planis locis, ubi multæ urbes, pagique extructi sunt, quorum magnus numerus vix cognosci datur. Præcipuæ urbes sunt, India, Picelouck, Sourckelouck, Caphengh, Soucethay, Kephinpet, Confeywan, Putsyay, Pitsidi Lydure, Tenou, Mormelon, Martenago, Lygor, Bordelong, Tannassary, Bankock, Piipry, Rapry, Mergy, & multæ aliæ, quarum quælibet singularum provinciarum est metropolis, ubi gubernationis sedes & dicasterium constitutum est. Præter hæc per totum regnum hinc inde multæ sunt urbes, pagi & populo abundantia loca, quæ omnia hic enumerare supervacaneum fuerit.

Urbs

Urbs India, quæ est totius regni metropolis & ubi aula Regis est, atque Proceres Regni, Præfecti & nobiles primarii habitant, sita est in parva rotunda Insula ad fluvium Menam, habens circa se ex omni plaga campos fertiles & planitiem. Insula illa in circuitu (qui est duorum milliarum Belgicorum circiter) mœnibus crassis ex lapide factis cincta est, continetque ipsam urbem, circa quam ultra fluvium ex adversa parte oppida, templa atque cœnobîa ædificata sunt, quæ non minus atque ipsa urbs incoluntur. Plateæ urbis aliquæ quidem longæ, latæ directimque se extendentes, fossis intercurrentibus: sed maximus numerus angiportorum, parvarum fossarum, crepidinum, sine aliqua dispositione sed confusè jacentium. In exundatione fluvii ferè ad omnes domos in plerisque plateis commode naviculis itur, quarum incredibilis hic suppetit copia, structura ædium juxta Indiæ consuetudinem haud operosa est, pleræque cæmentitiis tegulis tectæ. Sed urbem exornant pulcherrima templa & cœnobîa numero plura quam trecenta, omnia artificiosissimè extructa cum multis deauratis turribus, pyramidibus & incredibili copiâ Imaginum. Præterea decus urbi addit egregium Regis magna & splendida arx sive palatium multis turribus & sumptuosis deauratis ædificiis maximo artificio ad ripam fluvii jacens, & peculiarem urbem referens. Imo hæc urbs adeo elegans, commodo situ gaudens, annonâ abundans & omnium nationum incolis referta est, ut in tota India nullus Rex similem possideat, quod ego quidem sciam. Munitam satis eam & inexpugnabilem reddit natura loci & situs: neque ab hoste longiori quàm sex mensium spatio potest obsideri, quandoquidem exundatio fluvii ad solvendam obsidionem & ad relinquendam planitiem adigeret.

## De Regimine.

Regimen atque Majestas Regni Siam est penes Regem antiquæ valde & nobilissimæ stirpis, quæ hoc regnum & alias adjacentes regiones multis seculis obtinuerunt. Absolutum habet in omnes imperium, liberamque potestatem belli pacisque instituendæ, foederum, pœnarum, condonationum & omnium ad regni administrationem & subditos pertinentium. Leges fert atque statuta pro arbitrio haud rogato consensu Procerum vel civitatum & sine alicujus consilio, nisi proprio instinctu id faciat, consultum existimans adhibere aliquos ad consultationem vel eorum sententias super aliqua re exquirere. Plerumque autem, ut veteri more receptum est, Magnates, (dicti *Mandorini*, Cæsaris Consilarii) in causis magni momenti deliberant & de propositis à Regia Majestate petunt ab aliis Dynastis judicia sive consilia: quibus

quibus acceptis, Consilium sententiam ferunt seu consultationem concludunt, atque Regi sententiam formam supplicationis exhibent: Rex pro arbitrio suo ea vel rata vel irrita esse jubet, mutare, ea constituens, quæ ad Regni salutem magis facere judicaverit.

### De officiis & Dignitate.

Officia atque munera Regni, ut etiam gradus dignitatis distribuit Rex, prout visum fuerit & faverit, non habens rationem nobilitatis vel vilitatis generis, sed illis qui vel id meriti sunt diligentiam atque servitiorum promptitudine, vel à quibus Rex sibi talia promittit. Levia quoque ob delicta eis adimit dignitatem atque ad vilem & contemptam conditionem redigit, ita ut omnes subditi *mancipia Regis* sint, quod nomen etiam tanquam egregium titulum Magnates primi ordinis honorisibi ducunt. Itaque Rex non tantum nomine sed reipsa Caput est & Majestas totius Regni, in vitam atque bona vasallorum potestatem habens, & tales leges ferens, quas salutis status sui inservire putaverit. Quæ omnia tamen ita agit ut æquitatem observare videatur, ad antiquas Regni leges & statuta respiciens, quæ olim tam in politicis quam Ecclesiasticis causis constituta sunt & literis consignata; etsi singula hæc Rex absoluto suo imperio atque autoritate pro libidine sætere, immutare & interpretari possit.

### Magnificentia Regis.

Pompa fastusque Regis ad miraculum usque ingens est, splendore & superbia maximam, ministrorum turba magna. Raro se populo videndum præbet, neque crebro ipsis Magnatibus & Præfectis Regni, quos ad certos & dictos dies in diversis œcis & aulis palatii apertis seu subdialibus admittit splendidissime vestitus, Regio Diademate caput cinctus, insidens magnifico deaurato throno. Ad pedes illius multi nobiles, aulici & armati satellites in genua procumbunt: assistunt trecenti armati viri cohortis prætorianæ. Admissi ad Regem tam indigenæ quam externi, quamdiu ibi commorantur, genibus insidere manibusque complicatis & capite ad terram demisso reverentiam suam erga Majestatem testari debent: verbis ad eum faciendis multæ solennes cæremoniæ, superbi tituli & adulatoria præconia præmittuntur. Responsum non minoris quam si Oracula essent censentur æstimationis, & mandata accuratè nulla immutatione expediuntur: ita ut felicissimus & fortunatus ipse vivat (ut homines quidem vulgo fel-

slicitatem æstimant) & in omni voluptatum genere; per totum regnum hinc inde multa splendida palatia obtinet, amœna loca, & pavones ad delectationem.

Præter Reginam sive primariam uxorem, magnum alit pellicum numerum, quæ omnes ex nobilissimis & pulcherrimis puellis totius regni selectæ sunt.

Cibus vescitur delicatissimis; sed potus tenuis præbetur, aqua nimirum vel liquor ex nucibus, quas cocos vocant in India. Etenim potu liquoris acris seu temeti tam Ecclesiasticam quam politicam lege interdictum est Magnatibus, & magno vertitur vitio si quis in hoc peccaverit.

In fluvio præterlabente arcem Rex sæpe vehitur octo vel decem elegantissimis & pretiosis naviculis, quarum singulæ octoginta vel centum remigibus propelluntur: Rex in splendidissimam sedet, sub deaurato throno cinctus multis aulicis; reliquæ naves occupantur à comitatu & cohorte prætoriana & trecentorum vel quadringentorum militum: plerumque præter hunc comitatum adsunt etiam Magnates multi, singuli propriis naviculis sub deauratis domunculis sedentes, ita ut comitatus integer Rege in fluvio navigante sit mille ducentorum vel etiam quingentorum hominum.

Quemadmodum etiam, si Rex terrestri itinere extra palatium se proferat, præter aulicos, satellites, prætorianos milites, equites, & Elephantes comitantur eum multi Proceres sedentes in deaurato sedili quod humeris bajulorum sustinetur, ita ut comitatus sit nongentorum circiter virorum.

Et in hisce processionibus observatur decens ordo, silentium summum, pompa maxima: neque quisquam viam, quæ Rex iter facit, conspicitur qui non complicatis manibus, capite & toto corpore in terram procumbat, ita ut hæc reverentia potius superstitiosum divinum cultum quam Regiam observantiam testetur.

Mos est ab antiquis temporibus derivatus, ut Rex Siamensis singulis annis circa mensem Octobrem cum summa magnificentia & pompa populo se conspiciendum præbeat in salo & solo, habitu triumphantis, comitantibus eum Proceribus, nobilibus & Præfectis totius Regni splendidissime vestitis. Templum quoque Deorum hoc die Rex visitat vota faciens atque multa donaria offerens pro salute & incolumitate tam sui ipsius quam totius regni. Hæc pompa fieri consuevit hoc pacto: Primo incedunt ordine à palatio Cæsaris ad primarium templum ducenti circiter elephantes, singulis insident tres viri armati: hosce insequuntur multi musici Gommis, fistulis & tympanis instructi, & simul mille viri egregie armati & multis clypeis ornati. Succedunt ordine decenti omnes ferè Proceres regni equis vecti, quorum quidam aureo diademate splendent, singulorum comitatus sexaginta,

ginta, octoginta vel centum virorum pedibus incedentium: post hosce ducenti circiter Japonenses milites pulchris armis & vexillis, cumque variorum Instrumentorum Musica, Cohors prætoria Regis, equi & elephantes auro & gemmis fulgent, quos sequuntur multi ministri aulici onerati frugibus & donis offerendis in templis, simulque gratissima Musica. Hisce succedunt multi Magnates manibus complicatis, & quidam diademate caput cincti Domini, quorum unus Regium inauratum vexillum, & alius aureum gladium Justitiæ portat. Tunc insequitur Regia Majestas sedens Regio habitu super elegantem elephantem sub aureo throno, qui bajulorum humeris fertur: stipant ex omni plaga multi Dynastæ & aulici. Post hunc Princeps sive regni hæres cum aulicis suis: tunc Regis uxores & pellices inclusæ domunculis (quæ ab elephantis portantur) cum gynæceo. Agmen claudunt aulici magno numero & sexcenti armati. Computatis autem omnibus in hoc Comitatu deprehenditur is continere quindecim vel sedecim hominum millia.

Sed in aquis pompa ita peragitur. Primò, ducenti circiter Magnates, singuli sedentes in singulis deauratis domunculis in eleganti navicula cum sexaginta vel octoginta remigibus.

Insequuntur quatuor naviculæ cum musica varii generis. Quinquaginta item naviculæ Regis ad ostentationem, cum domunculis inauratis & picturâ exornatis, instructæ octoginta vel nonaginta remigibus.

Postea decem admodum pretiosæ & artificiosæ naviculæ, quæ totæ sicut & remi inaurati erant, remiges singulis nonaginta vel centum. In harum pulcherrima sedet Rex tanquam Idolum sub inaurato throno, cujus pedes à multis Magnatibus sedentibus cum reverentiæ specie cinguntur, in puppi sedet quidam Dynasta manibus tenens Regium clypeum inauratum. Sequitur Princeps, Regis frater cum aula sua sub inauratis domunculis & sericis tabernaculis: dein uxores Regis singulæ in singulis naviculis cum gynæceo. Tandem multæ naviculæ vehunt aulicos & nobiles; ita ut pompa hæc naviculas quadringentas & quinquaginta circiter, nec pauciores quam viginti quinque vel etiam triginta millia hominum complectatur.

Ripa fluvii ab utroque latere, ubi hæc processio instituitur, naviculis & innumerabili hominum turba occupata est, qui Regem capite inclinato & manibus complicatis venerantur quam humillimè & summi submissione.

*Reditus*

*Reditus.*

**R**editus annui Regis ampli sunt ascendentes ad aliquot miliones florenorum. Præbent eos præcipuè Oryza, cujus hæc regio perquam fertilis est: item stannum, plumbum, nitrum, &c. Hæc enim omnia solus Rex per suos ministros (*factores* vocant) exteris vendit mercatoribus: Aurum item partim ex arena collectum, partim è montibus effossum. Accedunt vectigalia è mercibus exterorum, donaria, tributa vicinorum Principum Regis vasallorum, Gubernatorum in Provinciis & civitatibus: quibus singulis certum annum vectigal solvendum est. Præter hæc magnum lucrum facit Rex ex mercatura, quam magnâ expensa pecuniâ exercet ad Coromandelii littoris regna & ad Chinam, ut etiam in proprio suo regno: in quem finem diversas rationarias tabernas (*comptore*) in urbe India & aliis urbibus instituit ita ut lucrum annum sit bis mille Cattorum argenteorum (est Siamensis ponderis genus) hoc est ferè centies mille Imperialium. Ex quibus clarè elucet, quod Rex Siamensis sit editissimis Indiæ Regibus. Ad colligendos hosce reditus constituti sunt aliquot *Quæstores* à Rege, qui quotannis rationem reddere tenentur. Expenduntur autem collectæ pecuniæ maxima ex parte ad ædificandas vel restaurandas Deorum ædes; item ad remunerandos fideles ministros & ad alia necessaria regni negotia atque aulam Regiam. Reliqua reconditur in gazophylacio, in quo fertur, neque id sine verisimili conjectura, magnum thesaurum habere collectum.

*De Successione.*

**L**Eges & constitutiones Regni in Successione mortui Regis singularem quidem sed constantem modum præscribunt, nempe ut defuncto Rege frater natu major evehatur ad regnum: qui si nullus sit, filius natu maximus obtineat; & post hunc fratres ejus ordine ætatis, donec horum nemo sit amplius superstes. Tunc demum filii fratris, qui primò regnavit, eodem ordine regnum adipiscuntur. Filiaæ autem exclusæ sunt à successione Regiæ. Atque hanc ob causam Regia familia difficulter potest intermori. Constitutio autem hæc rarò observatur, arripiente & vindicante sibi imperium potentissimo in Regia familia, quemadmodum Rex in præsentia regnans (anno M D XXXVI) fecit, qui ad stabiliendam Regni possessionem reliquos competitores & Principes Regiæ stirpis cum omnibus asseclis necavit, ut quieto

imperio frueretur, regnumque fratribus vel liberis securus relinquere posset.

### De Judiciis.

Justitiæ civilis & criminalis munera toto Regno administrantur per constitutos à Cæsare Præfectos juxta antiquas consuetudines & descriptas leges: sed in Regia urbe, India, præter ordinariorum Judicum diversos confessus, aliud quoddam est collegium constans duodecim Senatoribus & uno Præsidente ad ultimas sententias ferendas ubi omnes lites & causæ sive per appellacionem sive primâ instantiâ ad illud delatæ sint, deciduntur per definitivum Responsum, neque de hoc appellare licet ad aliud, sed ad Regem ipsum, magnis tamen sumptibus, vel ad constitutos à Rege Consiliarios, qui tamen plerumque Collegii sententiam tum confirmant, & exequi promptè curant.

Judiciis itaque inferioribus sive ordinariis per Advocatos & Procuratores proponuntur in civili causa accusationes & defensiones litigantium, idque vel ore tenus vel scriptis, testes producuntur & examinantur ut & reus; tunc præcipua capita accusationis & defensionis (*substantialia* vulgò vocant) à Secretario in librum adversariorum seu Protocollum, ut appellatur, referuntur, eaque litigantium vel plenipotentiariorum manu subsignantur & sigillis muniuntur, donec in proximo Confessu judicibus exhibeantur: tunc rursus in præsentia litigantium libri aperiuntur, disputationes audiuntur & capita annotantur, factaque subscriptione ut antea, sigilla imprimuntur: ita ut propter multas protractiones, exceptiones, fraudes & judicum segnitiam lites diu pendeant cum magno litigantium damno sine latâ sententiâ: quæ tandem, post multas & crebras sollicitationes toti Collegio proponuntur, librisque apertis & re examinata definitiva sententia ab eo pronuntiatur. Sed in criminalibus quæstionibus, ut sunt injuriæ, furta, neces, prodiones aliæque delicta, reus sive de quo suspicio est, post publicam probationem, vel sufficientia indicia à Præatore apprehenditur & arctæ custodiæ includitur. Deinde accusatur & accurate per judices examinatur, defensio ipsi conceditur: si neget factum, ubi indicia tamen gravia sunt, per torturam ad Confessionem adigitur, omnia diligenter annotantur in libro, & deinde toti collegio judicum prælegitur, qui sine mora sententiam dicunt & judicatum exequi curant, exceptis capitalibus & morte puniendis criminibus, in quibus executio deferretur ad Regis placitum, qui capite damnatos vel absolvit vel perpetuo carceri mancipat vel juxta latam à judicibus sententiam puniri mandat, prout animus ejus ad rigorem vel misericordiam deflexerit.

Plerumque

Plerumque criminalia delicta pro magnitudine eorum puniuntur, ut multa, deportatione ab officio, exilio vel deportatione in loca deserta, mancipatione, confiscatione bonorum, curtatione & mutilatione manuum & pedum, ustionibus seu tostionibus in oleo, quadripartitione, & aliis severis animadversionibus, atque damnatorum bona in regium fiscum rediguntur.

### Modus in Causis Dubiis.

In causis tam criminalibus quam civilibus, si res dubia sit nec satis liqueat, nimirum deficientibus indiciis, ita ut judices sententiam in neutram partem facile ferre possint, licitum est litigantibus, vel reo, (impetrato consensu judicum) aliis modis innocentiam vel causæ æquitatem probare, nempe demersione in aquas, manuum in fervens oleum immisione, ambulatione per medium ignem factâ nudis pedibus, vel etiam manducatione oryzae conglobatæ diris imprecationibus infectæ: atque hæc & similia coram judicibus & populo in publico loco peraguntur per ipsos litigantes vel horum Plenipotentiarios. Demersio in aquas fit hoc modo: Infixi sunt duo baculi fundo aquæ, horum ope demittunt se ad ipsum fundum eodem tempore: is qui longiori spatio durat infra aquas, seriùsque redit ad superficiem, absolvitur sive causam obtinet.

Ita, qui manibus in fervens oleum immisis nihil vel minus quam alter ambustas extraxerit: vel qui tribus vicibus, quatuor vel quinque passus per candentes prunas fecerit inviolatus (ne autem superficiali tantum eas attingere conetur, ab utroque latere assistit unus, qui humeros euntis deprimat.) Sed massam oryzae, exorcismis imprægnatam, non sine multis ritibus & cæremoniis, Sacerdotes exhibent litigantibus comedendam: qui sine vomitu eam deglutire potest, causam obtinet: pro quo etiam judices purgatione hac cognita statim sententiam dicunt & absolvent, isque ab amicis cum ovatione domum deducitur. Improbis autem actor, vel qui factum negaverit in criminalibus causis, capitali poena afficitur: sed in civilibus quæstionibus mulctatur vel ad carceres condemnatur.

### De Re Militari.

Exercitus Regis & copiæ tam terrestres quam navales constant maxima ex parte ex Vasallis & regni indigenis cum paucis exteris, ut Africanis, Malacensibus aliisque parvo numero: inter quos præcipui sunt quingenti vel sexcenti Japonenses, qui

qui à circumjacentibus populis propter fortitudinis famam in mira sunt æstimatione, & à Siamensibus Regibus in magno honore habiti: sed Rex, qui jam regnat, metuens nè quid aliquando ambitiosius attentarent, illos partim necavit, partim regno expulit: postea tamen Rege connivente iterum irrepserunt. Itaque vires atque robur ejus consistit in Siamensibus (præter paucos externos) qui quovis tempore ad Regis mandatum sine aliquo stipendio ad bellum armati ire tenentur. Colligitur autem exercitus ex omnibus provinciis pro magnitudine belli, instituto delectu unius ex centum vel ex quinquaginta, vel decem vel ex quinque, qui inter Præfectos divisi cum Rege vel hujus Duce Vicario in bellum descendunt. Magnates quoque communiter aliquot militum centurias alunt, qui in bellum profectos Dominos comitantur: ita ut Rex facile aliquot centena millia militum in aciem producere queat, cum bis vel ter mille Elephantis (pugnare doctis & annonæ impedimentorum atque tormentorum custodibus,) sed raro exercitus plures, quam centum millia militum habet, plerunque viginti modo millia vel triginta, quadraginta, quinquaginta sufficiunt habitâ ratione defensionis vel expeditionum in hostes. Pedites in certas cohortes divisi ordine utcunque bono, sed arcu, sagittis, clypeis, gladiis, hastis non satis armati, pauciores sclopetis instructi. Equites haud magis armati, sed tantum gladiis, clypeis, arcu & lancea. Maximum exercitus robur est in aliquot centuriis elephantum, quorum singulis tres armati viri insident. Tormenta quidem multa illis suppetunt sed uti illis haudquaquam norunt.

Ad bella mari gerenda Rex confectas habet multas naves ætuarias & triemes, qui tormentis quidem idoneis, sed imperitis nautis, nec peritioribus militibus instructæ sunt. Navium minoris formæ, quarum usus in fluviis esse possit, incredibilem possidet numerum, atque hisce Siamenses peritè satis uti callent: sed omnes laborant defectu instrumentorum bellicorum, neque contra Europæos se valent tueri. Sed quia vicinæ ipsis gentes haudquaquam peritiores vel fortiores sed potius magis invalidæ & minus armis instructæ, possunt Siamenses cum illis in pugnam descendere, victorias obtinere & provincias expugnare, quemadmodum tempore Regum, qui belli studiis flagrabant, sæpiuscule contigit. Hi enim severâ disciplinâ & magnâ autoritate subditos suos (quibus natura imbellem mitèmq; & timidum animum dedit) militiæ satis aptos & commodos reddiderunt. Unde factum, ut Rex Siamensis quondam devictis & sub jugum redactis vicinis regnis quasi Cæsar & Imperator & Monarcha multorum regnorum fuerit: sed quando Reges magis pacis quam belli amantes erant, gentes illæ rursus desciverunt, donec ab aliis bellicos Regibus iterum ad Imperium adjuncti.

Jam

Jam olim inter Reges Peguanum & Siamensem bella multa gesta sunt cum magno detrimento eam inprimis ob causam, quod singuli, præcipuè Rex Peguanus & Avanus, Monarchiam in adjacentia regna sibi vindicarent: & quædam eorum in hunc usque diem tenent, unde in finibus horum regnorum vasti campi deserti & efferati jacent, & ipsi Reges jam à multis annis non iusto bello, sed irruptionibus tantum se mutuo invaserint: ad quas inhibendas vel etiam in alios attentandas singulis annis in regno Siamis exercitus viginti vel triginta millium militum colligitur & ad fines regni mittitur.

Contra alios quoque Reges, ut Iangomensem, Tangouensem, Langsjangensem aliósque vicinos olim bella gesta fuere propter diversas controversias & Dominorum possessiones: & ultimum quidem contra regem Cambodiæ, qui cum esset vasallus Regis Siamensis, rebellionem fecit, ob quam à Rege bello impetitus fortiter à se vim hostilem repulit seque defendit. Ab eo tempore Regno pace frui datum est usque dum Rex nuper defunctus, hujus in præsentia regnantis antecessor, legitimum regni hæredem expulit & necari iussit, ita ut filius ejus contra morem & leges succederet, & tandem cum fratribus suis & omnibus Principibus de regia stirpe interfectus est, manente Regni Majestate penes unum de sanguine regio, qui post aliquot intestina & cum exteris bella, in præsentia sine impedimento tranquillè regnat idque magnâ subditorum reverentia & obedientia; cum Avano tamen, Peguano & rebeli Cambadiensi Rege bella à prædecessoribus incepta continuans.

### *Regis erga externos Benevolentia.*

**R**ex in præsentia regnans, (quemadmodum & plurimi ex eis qui ante hunc fuere, fecerunt) fovet atque favet exteris Nationibus: Belgas majori quam Lusitanos prosequitur benevolentia, quæ in hujus Regis Antecessore tanta fuit, ut, cum Anno MDCXXIV Hispani Hollandicam celocem seu liburnicam in fluvio Regni Siamensis rapuissent, Rex ulcisci hanc *Hispanorum* rapinam in suo regno cupiens, Hispanicam actuariam navem, cujus Præfectus erat Don Fernando de Siliva, vi atque armis expugnari jusserit, atque in raptos pro meritis animadverterit, Societati Belgicæ restituens liburnicam & bona quæ in ea fuerant. Sed hanc ob vindictam Hispanos in Philippinis Insulis dominantes infestos sibi reddidit & hostes, qui naves illius ad Chinam navigantes vel inde redeuntes ademerunt, unde magnum damnum passus est: quo nomine Belgæ Regiæ Majestati ejusque Regno obligati erant, quod etiam anno MDCXXXIV missis ei

sex bellicis navibus] ad subsidium contra rebelles Patanenses compensarunt.

### De Elephantis.

PER totum regnum Regi aluntur tria millia cicurum Elephantum & plures, quorum singuli a duobus vel tribus viris curantur, qui eis cibum præbent, quotidie lavant & purgant, atque in illis non minima pars Regiarum virium consistit, quandoquidem hæc animalia maximi in India æstimantur & aliquot eorum centuriæ ad pugnam bellicam exercitatae sunt: reliqui tam mares quam fœminæ portandis aut trahendis tormentis, tabernaculis, impedimentis & annona pro militibus intervniunt. Elephantes hi valde magni, robusti, agiles atque intelligentes sunt: capiuntur autem in diversis regni locis modo sequenti & cicurantur. Armentum quindecim vel etiam viginti cicurum elephantum fœminarum (quæ omnes in primis ætatis annis captæ sint) cum tribus vel quatuor pastoribus sive custodibus ducuntur in eremum seu sylvestria. Hic illis unus vel plures indomiti elephantentes se associant, atque cum toto armento ad locum quadratæ figuræ propelluntur, qui mœnibus lapideo opere ad insignem altitudinem cinctus extrinsecus arboribus consitus partim palis. Huc aguntur elephantentes donec paulatim per duos palos transierint, ubi repagulum versatile (*Draeyboom*) est: simul ac transierint, repagulum clauditur, deinde per portam aliquam in quadratam illam planitiem muro cinctam perveniunt: porta statim clausa duplici obice munitur. In adverso latere mœnium duæ portæ sunt per quas cicures elephantentes paulatim transeunt ita ut sylvestres soli relinquuntur. Quadrata hæc planities perticæ unius a muro distantia, crassis palis & altis duas ulnas circumdata est, relicto inter binos palos eo intervallo, ut viro per illud transitus haud difficilis sit. In media planitie parvus quidam locus itidem quadrato circuitu palis cinctus eodem, quo antea dictum est, modo. Juxta hanc structuram domuncula quædam & sedile paratum est pro Rege, & pergula vel xystrus pro Nobilibus, ex quibus locis exagitationes & capturas horum animalium tanquam jucundum spectaculum contemplantur. Etenim fœræ multis variisque irritationibus & vexationibus furore percitæ conantur celeri cursu hinc inde se convertentes exagitatores seu provocatores apprehendere, sed hi impetum eorum effugiunt abscondentes se post palos: elephantentes frustra illos transilire tentant. Tandem ubi lassii fuerint, theatri porta una aperitur per quam intrantes repagulis ab interiori & posteriori parte objectis sistuntur & tribus vel quatuor mansuetis elephantentes alligantur: inde sub

sub tectum aliquod ducuntur, ubi ad transversas trabes funibus ventri subjectis & trabibus alligatis in altum trahuntur ut ita dimidio corpore pendentes per aliquot dies relinquuntur: dein spatio trium vel quatuor mensium beneficio & conversatione mansuetorum elephantum & ipsi feritatem deponunt omnino & ad servitiæ apti fiunt. Interdum in patenti campo sylvestres elephantentes cinguntur mansuetis elephantentes & circumjectis circa pedes eorum funibus capiuntur, quod tamen raro sine pugna perficitur.

Hisce modis elephantentes in regno Siam & vicinis locis capiuntur: ex quibus manifestum est, quam falso multi Scriptorum de hac re edocti sint (qui alium sed fabulosum modum capturæ elephantum descriperunt.)

In unico regno Siam neque in alia hætenus cognita regione capitur interdum Elephas albi coloris, qui tanquam naturæ miraculum ab omnibus Indis sed imprimis a Siamensibus & horum vicinis Rex Elephantum esse censetur. Reges Siamenses sæpius talem in aula sua nutrierunt, cui tanquam principi domicilium præparatum, ipse exornatus vestitu, ministri additi, ipse magnifice habitus & a Regibus frequenter visitatus, a vasallis Regis honoratus, cibi & potus ex vasis aureis dati. Hujus albi elephantentes causâ olim bella gesta sunt contra regem Siamis & ultimum quidem, ante sexaginta circiter annos cum Rege Peguano, qui non solum eo bello victoriam obtinens elephantem ademittit, sed etiam Siamensem Regem sibi tributarium reddidit, sed hoc jugum successores in regno Siamensi abjecerunt, & egregie contra Peguanum se defenderunt. Primis annis meæ in hoc regno commorationis Regi eo tempore regnanti adeo favit fortuna ut duos albos elephantentes adhuc juvencos ceperit, qui ambo non diu postea mortui sunt, unde ipse magnâ sollicitudine affectus est. Gentes hæc existimant, quod præter regiam dignitatem hæc animalia etiam divinitatis participes sint, de quo multas fabulas narant. Aiunt enim se illos non tam propter albedinem colere quam propter supernaturalem intelligentiam, cum magnificentiam & regalem vitam ament, contra tristes & melancholici fiant, si ea denegetur nec a reliquis elephantentes reverentia præstetur: quod etsi fabulosum & merum mendacium videatur: tamen Siamenses longâ experientia edocti pro certo illud habent.

### De Moribus, Vestitu, Edificiis.

SIAMENSES corpore sunt membris aptâ proportionem sibi invicem respondentibus, fusco colore, medio nempe inter flavum & nigrum: In militiæ parum valent: sed sævi & crudeles



erga devictos hostes : fastuosa & superba facie : sed in civili conversatione modesti, levitas illis insignis inest, meticulosi, simulators, diffidentes omnibus, infideles, fallaces & valde mendaces. Præterea viri segnitie & pigritia laborant, ut eam ob causam uxores (quæ corpore robusto & mediæ sunt pulchritudinis) maximam laborum partem tam in agricultura quam aliis negotiis adjunctæ mancipiis exantlare cogantur (contra aliarum gentium consuetudinem) familiamque alere : mariti verò plurimi aulicis tantum vel bellicis negotiis vacant, in desidia & otio omne ferè tempus pro libidine consumunt.

Amictu utuntur tam viri quam fœminæ levi, propter æstum regionis : ventrem picta veste amictiunt : thoracem viri obtegunt indusio brevi dimidiatis brachialibus, fœminæ verò subtili veste, cujus extremitates ex humeris dependent ita ut mammæ tegantur illâ.

Ad ornatum gestant aureum stylum in crinibus, ex auro item annulos in digitis. Hæc plerisque communia tam divitibus quam pauperibus, ita ut in vestitu nulla differentia sit præterquam in pretio ejus : sed divites & potentiores facile cognoscuntur ex comitatu & ministris, in quorum multitudine præcipue superbiunt seque ostentant.

Cives mediæ fortis ut & earum uxores incedunt uno vel altero mancipio subsequente : opulenti & potentiores pluribus pro conditione opum : inprimis Dynastæ, nobiles & magnates, quorum comitatus decem, viginti, triginta vel plures ministros complectitur.

Ædes eorum juxta Indiæ consuetudinem ex ligno & arundine sine magno artificio constructæ sunt, tegulis vel foliis arboris Cociferæ tectæ, pavimentum tribus vel quatuor pedibus extat supra fundum fenestellæ quædam additæ, pauca suppellex, nihil ferè præter ea, quæ ad dormiendum, coquendum & ciborum usum requiruntur.

Lateres, calx, ligna & omnia ad structuram castellorum, templorum, domiciliorum, navium, &c. requisita reperiuntur hic in magna abundantia.

Cibus tenuis & parum delicatus, oryza nempe, pisces & herbæ : potus plerisque aqua. Diebus tamen festis cuticulam curant, quibus etiam vulgus vinum adustum (quod in India & adjacentibus Insulis vocatur *Arack*, vocabulo jam Belgis fatis cognito) ad ebrietatem usque haurit.

De

## De Conjugio.

**I**N matrimoniis contrahendis diversas usurpant consuetudines. Namque Dynastarum nobilium & opulentiorum conjugia consensu vel amicorum parentum & factâ promissione certorum bonorum ab utraque parte ineuntur & rata esse jubentur sine ritibus aut cæremoniis Ecclesiasticis, confirmantur tamen nuptiis & festivitibus. Potestas illis quovis tempore ob certas causas, factâ divisione opum & liberorum, divortium facere, atque aliud conjugium petere, idque sine ulla infamia vel animadversione Magistratus, nisi forte divortium nullas legitimas causas habeat.

Præter uxorem licet viro sine alicujus consensus petitione tot pellices alere domi, quot libido ejus appetit, sed hæ uxori primariæ obedientiam præstare tenentur, quæ etiam hoc imperio contenta est, eoque magis quod liberos ex se genitos solos bonorum hæredes esse novit : namque ex pellicibus geniti parvâ portione contenti esse debent.

Divitiæ opulentorum post eorum obitum plerunque in tres portiones dividuntur : una ex tribus partibus Regi debetur : secunda Sacerdotibus & Clero, ex qua etiam portio sumptus ad funus defumuntur. Reliqua tertia portio hæreditati liberorum relinquitur.

Cæterum plebei alium observant morem. Etenim sponsus emit sponsum plerunque certo pretio, (si hoc dotem appellare aliquis velit, per me licet, ego certè dissentio) quod ab amicis vel parentibus constitutum fuerit, soluto eo pretio & traditâ a parentibus sponsa confirmatum est matrimonium, adhibentur paucæ festivitates : id tamen quovis tempore, si & vir & mulier consentiat, rescindere licet factâ bonorum partitione & liberorum, quod tamen raro sine prægnantibus causis instituitur ; magnæ quippe verteretur ignominia.

Defunctis parentibus liberi legitimi æqualibus portionibus ea inter se distribuunt, exceptâ levi prærogativâ, quâ primogenitus gaudet.

Aliis quoque conditionibus matrimoniales contractus fiunt & conjugia coluntur, quas omnes recensere nimis prolixum foret & tediosum. Præterea in educatione liberorum differunt magno-pere : paucis autem enarrabo, quomodo ea ab honestis parentibus plerunque instituantur. Ad ætatis annum quintum vel etiam sextum sinunt liberos domi discurrere & ludere nullo imposito labore : id vero tempus ubi advenerit, tunc eos Sacerdotibus committunt ut legendi, scribendi peritiam sibi comparent artesque libera-

berales addiscant: eisdem quoque in rebus sacris servire vel ministrare tenentur, raróque parentum domos accedunt. Postquam eas artes sic satis apprehenderit, certo cuidam opificio vel aliis ministeriis addicuntur. Plerunque tamen acutioribus & acri qui sunt ingenio, ad majorem eruditionem adipiscendam (tam profana enim quàm sacra doctrina à solis Sacerdotibus discitur) studiis invigilare conceditur, donec apti sint ad munera regni administranda. Tunc enim exuunt flavum cucullum: etsi nihilominus plurimi prudentes in ea conditione & vitæ genere manent, adspirantes ad Præfecturam templorum, scholarum, vel Sacerdotium.

### De Quæstu incolarum.

Siamenses in urbibus habitantes & populo abundantibus locis, quæstum faciunt ex mercibus varii generis, animalibus, &c. aulicis ministeriis, vectura, piscatione instituta *Funcis* (navigii species est) ratibus & cymbis: alii opificiis se sustentant. Rustici in pagis (quorum plurimi mancipia sunt) ex agricultura vivunt serentes & colligentes varia frumenta, imprimis oryzam, cujus maximam abundantiam terra profert: plantatione quoque variarum fructiferarum arborum & fruticum, imprimis Cocciferarum & aliarum ferentium fructus, quos vocant *Siry pinangh* in magna copia: iidem quoque ruricolæ multiplicandis varii generis animalibus student, ut equis, vaccis, suis capris, anseribus, pavonibus, anatibus, gallinis, columbis & aliis cicurum animalium speciebus: unde fit ut annonæ vilitas in hoc regno sit & magna copia in vicinas regiones exportetur.

In diversis urbibus & locis hujus regni varia exercetur mercatura, merces tam regioni naturales quàm importatæ ab exteris: præcipua tamen negotiatio & omnibus libera in metropoli primaria quæ dicitur *India*. Merces sunt vestes ex Choromandelii littoris regionibus & urbe Suratte advectæ, Chineses merces, cimelia, aurum, Benjovinum, gum milacca, cera, sappaag, stannum, plumbum, pelles rajarum, &c. & magnus numerus cervinarum pellium, (cùm in regno hoc quotannis centies & quinquagesies mille cervi circiter capiantur) quæ in Japoniam avehuntur.

Merces quoque varia ad annonam pertinentia, imprimis oryza, quæ amplam negotiationem præbet, cum ejus quotannis aliquot millenæ vehes ad vicinas gentes & remotas exportentur. Unde fit, ut ad hanc urbem fere ex omnibus Asiæ provinciis & tota India, unà cum Europæis gentibus, Africani quoque mercatores navibus accedant & frequentent. Rex ipse quoque mercaturam exercet, mittens quotannis naves & magnam pecuniæ vim ad Co-

roman-

romandelium littus & Chinam, à cujus regni regibus jam à vetustis temporibus singularia privilegia & immunitates super hoc negotium adeptus est.

Quæ negotiatio accedentibus iis, quas ad regnum Peguanum, Avatum, Longomam, Langhsjanghanum aliasque vicinas regiones instituit, ut etiam in ipsa urbe India per suos Institores, incredibili illum lucro ditant singulis annis: unde etiam fit, ut mercatores alii parvo ex negotiatione emolumento fruuntur. Ex eo tamen certum licet cuivis sumere indicium magnæ mercaturæ, quæ in hoc regno exercentur.

### De Moneta.

Monetam usurpant ex argento obryzo fufam justo pondere, forma rotunda & Regio signo impresso. Triplex autem ea est, nempe Tical, Mase, Foang, quæ ad monetam Belgicam comparatæ valent, prima quidem triginta stuferos, secunda septem cum dimidio; tertia tres stuferos cum tribus quartis. Supputant communiter Siamensibus Cattis argenteis, quorum singuli valent viginti taylas, (quarum una sex florenis æquivalet) sive quadraginta octo Imperiales vel regales Hispanicos.

Tayla continet quatuor tical, quorum unus quatuor Masas sive octo Foangos.

Hiscæ nummorum speciebus, aliis exclusis, mercimonia exercentur & pretia solvuntur. Ad plebis tamen commodiorem usum loco monetæ minoris adhibetur etiam conchularum quædam species, quæ ex Philippinis Insulis & Borneone atque Lequeone afferuntur, quarum octingentæ vel nongentæ unum faciunt foangum (tres stuferos Holland. cum  $\frac{3}{4}$ ). Hiscæ utuntur in quotidiana conversatione ad emenda ea, quæ ad victum requiruntur & alia minoris momenti: Etenim viginti ejusmodi conchulis, vel etiam decem imo quinque emere possunt aliquid eorum quæ in foro venalia sunt.

### De Lusitanorum & Belgarum conditione in hoc Regno.

Lusitani multis annis ante Belgarum adventum in Indiam, libere in hoc regno negotiati sunt: nec tantum benevolè habiti sed etiam in tanta apud Regem æstimatione, ut Legati à Lusitano Indiæ Prorege vel à Gubernatoribus aut Episcopis Malacensibus missi honoris & officiorum causa magnificè excepti, donisque

donisque affecti sint splendidis: imo, quod majus est, quidam ex habitantibus inibi Lusitanis ad splendida munera & dignitates evecti sunt, & præter liberrimam commerciorum potestatem per totum regnum iis, concessum quoque est liberum Religionis Christianæ exercitium & in ipsa urbe India Templi extruendi facta potestas: quin etiam Sacerdoti hujus Templi à Rege menstruum constitutum est salarium. Subditis quoque suis permisit ad Malaccam naves annona oneratas mercimonii ergo cum Lusitanis ibi habitantibus exercendi mittere. Unde per multos annos quiete & magno cum lucro Lusitani confederunt, donec ministri Societatis Belgicæ huc venientes sedem quoque commerciorum fixerunt atque Lusitanorum vires paulatim diversis fortunæ casibus, (multarum nempe navium expugnatione, & mercimoniorum ad Santhomen & Negatavam impedimento) ita labefecerunt, ut illi in præsentia nihil amplius possint, quod anno MDCXXIV præcipue effectum est, cum Lusitani vecti actuaria nave in fluvio Siamensi diripiissent Celocem Belgarum. Hoc quippe Rex adeo ægrè tulit, ut facinus hoc vi & armis ultus sit expugnata Lusitanorum nave: unde Hispani in Philippinis Insulis hostes ejus se declararunt, ut antea dictum est. Et quamvis Lusitani in Siamensi regno habitantes & negotiantes simularent, quasi hæc Philippinorum attentata nihil ad se pertinerent, & ideo quoque hic permanerent, ex eo tamen tempore & Rex & Proceres minus illis faverunt, neque Præfesto eorum (qui nomine Gubernatoris & Episcopi Malacensis ipsis præerat in Siamensi regno) liberum cum debitis honoribus aditum ad aulam suam concesserunt.

Atque ideo in præsentia adeo imminutus est eorum numerus & dignitas, ut præter paucos depauperatos Lusitanos, Meticos (*Meticen* vocant, qui patre Lusitano, matre vero Indica nati sunt, qui etiam colorem corporis medium inter Lusitanorum & Indorum colorem obtinent) & Indos Christianos, alios nullos hic habeant asseclas: cum tamen antehac opulentissimi & celeberrimi totius regni essent mercatores. Anno MDCXXXI Rex Siamensis irritatus & impulsus variis multisque injuriis atque damnis, quibus Lusitani subditos Regis in navigatione affecerant, celocem Lusitanam ad urbem Indiam appulsam occupavit, atque omnes Lusitanos, qui tunc in urbe versabantur, custodiæ tradidit; hi tamen post duos annos per dolam simulatæ Legationis aufugerunt: ob quam causam in portu Lygoor Bætica navis & in portu Tannassary Lusitanica navis detentæ sunt à Rege & occupatæ. Qui tamen in navibus hisce fuerant, ii consumptis duobus annis in custodia, gratis & ultro à Rege dimissi sunt, Regisque literis ad Gubernatorem Philippinarum & Malaccensem scriptis ablegati, quibus Rex offerebat eis amicitiam, pacem,

cem, & mercimoniorum potestatem ea libertate, qua prioribus annis usi erant: unde verisimile fit, eos huc cito redituros, etsi valde dubitem, an magnum inde emolumentum percepturi sint.

Plures, quam triginta anni præterierunt ex eo tempore, quo Belgæ primum in regnum hoc Siamense delati Regis favorem sibi conciliarunt, ita ut Societas Indica consultum duxerit partim ad negotiationem partim ad foedus cum tam potenti Rege stabiliendum, in urbe India ædes pro reponendis mercibus & vendendis extruere, quæ quidem tunc temporis ex ligno fuere. Eis Belgæ per multos annos usi sunt, vendentes incolis vestes aliæque, ementes autem pelles cervinas, Sappangh, &c. quæ singulis annis in Japoniam avehuntur. Parum tamen lucri vel certe non pro rei magnitudine ad Societatem ex hac mercatura multis annis profectum est, idque propter varia damna, quæ perpeffi sunt: cum Rege tamen magnam inierunt amicitiam, & summam æstimationem adepti sunt supra alias nationes Europæas: præterea multas naves annonam onustas hinc ad Bataviam (urbem & arcem Belgarum in Java Insula, non ad hanc Europæam Bataviam) abduxerunt. Et quamvis interea temporis Regnum ad plures, uno alteri defuncto succedente, devolutum sit, Societas quoque Belgica merces & ministros suos inde discedere jussit, conservata tamen est illa confederatio huc usque & continuanda posthac amico consensu, quandoquidem magnum ea affert momentum ad felicem statum Reipublicæ Belgicæ in India. Etenim & sita est regio hæc opportunè ad navigationem, & annonam omnis generis suppeditat affatim, & Regis humanitas atque controversiæ cum Hispano invitant, ideoque ad Societatis Belgicæ commodum & nostræ gentis gloriam in cœpta amicitia perhibere decet, præsertim, cum anno MDCXXXIII sedes mercaturæ denuo ibi à nostris fixa sit, atque negotiationes (me per quatuor annos Directore) ita accreverint, ut Societas multum ex eis lucrata sit atque sperare liceat majus inde lucrum, si prudenti consilio cœptum promoveatur. In quem finem anno MDCXXXIV (ad mandatum Prætoris Brouweri & Confessus Iudici) insigne domicilium ex cæmento extructum est, adlitis commodis mercium promptuariis, jucundis habitationibus, spaciosis hortis & ad omnem usum aptis fossis aquarum plenis (ad ripam fluvii Menan.) Locus hic ad negotiationem tam bene atque commodè situs est, ut ex omnibus, quos Societatis in India possidet, nullus sit, qui illum superet.

Hæc sunt, quæ paucis annotare de conditione & consuetudinibus Regni Siamensis consultum duxi, sicut de eis, o-

cto annis, quibus in metropoli India commoratus fui, accurate inquisivi & cognovi. Remitto curiosum lectorem ad alios Scriptores, qui copiosius & planius hæc profecerunt.

*Finis Descriptionis SCHOUTENII.*

Collecta

## Collecta ex aliis Scriptoribus

DE

## REGNO SIAMENSI.

Regina Patanensis magno Regi Siamensi singulis annis ad testandam reverentiam & submissionem mittit aureum florem cum aliis rebus, quos raritas commendat, vestes nimirum, Holofericum & purpuram. Ex descriptione Navigationis Belgarum sub Prætoro *Jacobo d Neck.*

Siamenses eundem ferè in scribendo modum observant, quem Europæi: literæ earum proximè accedunt ad Latinarum literarum ductus. Ex eadem Descript.

Cottardus Artus Dantiscanus, qui Belgarum stipendiis in Indiam profectus est, in sua descriptione hæc habet: Regnum Siamense quondam ita potens fuit, ut Rex Cæsaris titulum usurpaverit, eoque se appellari jussit. Verum anno M D LXXVIII Rex Peguanus ei bellum intulit, & collecto exercitu aliquot centenorum millium militum, regnum ejus invasit, tandemque post biennem obsidionem & amissis quingentis mille viris, regiam urbem & metropolim (quæ etiam appellabatur *Siam* nomine totius regni) proditione occupavit. Causa hujus belli fuit hæc: Erant Regi Siamensi duo elephantes albi coloris, quod cum Peguani cognovissent, qui hisce bestiis sanctitatem tribuunt, missis Legatis ad Siamensem petierunt ab eo elephantes istos hac conditione, ut Rex pro libitu pretium constitueret, idque Peguanus solveret. Sed Siamensis recusavit illos vendere neque ullo modo persuaderi potuit. Peguanus indignè id ferens collecto ingenti exercitu & devicto regno Siamensi non tantum elephantes abduxit, sed etiam imposito toti regno vectigali nobiles partim regno expulit vel necavit, partim captivos secum abduxit cum multa gaza & thesauris. Rex Siamensis cognita urbis regie expugnatione veneno hausto seipsum interfecit.

Hæc Artus, in quibus notandum quod urbs quam nominatam olim fuisse *Siam* scribit, sit eadem cum ea, quæ hodie dicitur India.

Campaa Emporium est maritimum Regni Siamensis, ex quo præstantissimum lignum Aloes exportatur, quod Orientales populi non minoris æstimant quam argentum, & creber ejus usus est

est ad defunctorum Regum & Principum cadavera comburenda. Idem Artus.

Lusitanus quidam, cui nomen Fernan Mendez Pinto, qui & hoc regnum anno M D XL & alia Indiæ loca perflustravit, in suo Itinerario regnum Siam vocat Imperium de Sornau, & regiam urbem Odiaa, ad quam singulis annis ad minimum mille naves mediocris magnitudinis mercimoniorum causa appellere ait indeque solvere: Præterea regis annuos redditus eo tempore fuisse duodecim milliones, seu trecentas & sexaginta tonnas auri, non numeratis vectigalibus & tributis, quæ à Vasallis accipiat. Urbes & incolis frequentata loca in toto regno esse bis mille & sexcenta, exclusis ab hoc numero pagis parvis. Rex, ait, titulum usurpat hunc: Prechau Saleu, quæ latino sermone sonant, Sanctum membrum Dei. Agnoscit tamen Cæsaris Chinenfis Majestatem, cui etiam observantiam suam testatur misso singulis annis tributo, idque eum in finem; ut naves suos ad portum Combai negotiationis ergo tuto ablegare possit.

Sprinckelius, qui nomine Societatis Belgicæ mercaturam in regno Patanensi, cui Siamense adjacet direxit, narravit hæc, quæ in præsentia sua ibi acta sint, circa annum M DC XX: namque numerum anni non reperio annotatum.

Rex Siamenis, nominatus Ragihapi, unam ex pellicibus suis dabat in matrimonium filio Regis de Bordelon qui vasallus & vectigalis ipsius erat. Hanc sponsam ipse comitabatur ad Bordelonem usque cum nongentis elephantis & quatuordecim millibus viris, atque certum elephantum numerum & mancipiorum Neonymphis donabat loco dotis: Sprinckelius quoque rogatus aderat ad augendam pompæ hujus magnificentiam. Rex hic (Ragihapi fortassis nomen fuit) ut fama ferebat, totum regnum Peguanum debellaverat, atque exercitu ad urbem Aracam adducto, obsidione eam cinxerat longo tempore. Sanctè enim juraverat, se non reverfurum in Indiam (urbem munitissimam Siamenis regni) antequam Aracam expugnasset: sed cum ex sententia nequaquam res succederet, ædificari curavit sibi domum circa eam urbem, in qua habitavit, retento apud se toto exercitu, donec vitam cum morte commutaret. Tyrannus insignis erat & crudelis Vir. Cum aliquando ægrotaret & forte in alio conclavi audiret ridentes aliquos, quæsit ex ministris, quisnam esset, qui rideret, iisque indicatis (erant autem duæ ex præcipuis ejus pellicibus) illico jussit abduci & in frustra disseccari, propterea quod suspicaretur, illas gaudere de ipsius calamitate & lætari, quod eum à morte non longè abesse agnovissent. Et quoniam hic mentionem fecimus dissectionis corporum, sciendum est capite damnatos ita necari. Damnatus pedibus insistentis corpus eoque inflectit ut manibus ad genua applicatis innitatur. Quo

Quo factò Carnifex ad regionem lumborum supra coxendicem immisso ferro in duo frustra dissecat. Erat inter aulicos Regis Ragihapi præcipuus & qui plurimum valebat, quidam nomine Ochi Chronowi (Ochi significat Comitum vel Dominum) qui Hollandis admodum favebat, eorumque causas apud Regem promovebat. Hic vivente adhuc Rege clanculum in regnum accerserat quadringentos vel quingentos Japonenses milites, vestitu mercatorum, ut Rege necato horum auxilio regnum sibi vindicaret. Id tamen, quamdiu Rex in vivis erat, non est tentare ausus, sed simul ac defunctus is esset, dictus Chronowi regnum occupavit, seque in Regem coronari curavit, non obstante eo, quod defuncti Regis filii superstites adhuc essent. Verum enimvero maxima pars incolarum regis urbis (Indiæ) steterunt à partibus filii natu maximi Regis defuncti, eique juramentum fidelitatis præstiterunt: cui Hollandi quoque auxilio venere contra Chronovium, etsi hujus benevolentiam & favorem sæpius antehac experti essent. Hic tamen filius natu maximus non diu post interit & frater natu minimus regnum accepit, cum quo tamen bellum & seditiosi tumultus non finiti sunt.

Rex Ragihapi Hollandos, (qui à Patane venerant in urbem Indiam commerciorum causâ) rogaverat, ut trecenta tormenta bellica ei ex Belgio adveherent, cum tympanis, buccinis, & aliis bellicis rebus & simul aliquot Præfectos belli, qui subditos ejus in arte bellica informarent & exercerent.

Sed Ordines Fœderati Belgii tria tantum tormenta ei transmisserunt, quæ cum ad urbem Patanen exposita essent tempore quo seditiones in Siamenis regno flagrabant, & cum Rex Ragihapi jam vitâ excessisset, retenta sunt in urbe Patane.

K

A P.



# A P P E N D I X

## S E C U N D A.

Cum Typographus ad finem libri pervenisset, vidit aliquot paginas vacuas fore, ideoque rogavit, ut aliquid lectu dignum in gratiam emtorum adjicerem. Legeram tunc forte in Belgicis navigationibus de cæde multorum Magnatum in Persia historiam. Eam itaque lectoribus clausulæ loco exhibere volui. Sic autem se habet:

Cum quædam controversiæ inter Regem Persiæ & Prætorem Societatis Belgiæ in India Orientali extitissent, quæ apertum bellum minabantur, missus est in Persiam (a Batavia Belgarum in insula Java) legatus seu tribunus militum cum sex liburnicis, quæ in fine Maii anni MDCXLV appulerunt prope Ormuzum in Sinu Persico. Coacto consilio & rebus expensis, constituerunt castellum, quod *Kisnis* appellatur, obsidione cingere, & quidem tam mari quam terrâ, idque statim executi sunt atque crebris tormentorum explosionibus in illud detonarunt. Post aliquot autem dies soluta est obsidio, quoniam à Rege ad legatum Belgicum allatæ erant ex urbe regia Espahan literæ, quibus significabat malle se pacem inire cum Belgis, & omnia postulata concedere, quam bello depugnare, & simul rogabat Legatum, ut ipse ad aulam suam accederet, factis magnis pollicitationibus benevolentia & spe optatarum conditionum impetrandarum. Regis petitione in consessu considerata consultum duxerunt, ut Legatus ad Regiam iret, assumpto decem hominum comitatu. Die sexto Julii iter ingressi sunt & peragratis multis regionibus centum & septuaginta miliarium, & quidem nocturno itinere, cum de die æstus solis prohibeat, pervenerunt die sexto Augusti in Regiam, quæ vocatur *Espahan*, ducente illos Præfecto urbis, qui quarta miliaris parte ab urbe iis occurrerat & honorificè exceperat. Hic dum commorantur & cum Rege de conditionibus mercaturæ concedendæ transigunt, hæc acciderunt.

Decimo

Decimo die Octobris Rex Persiæ magno cum splendore & magnificentia se conspiciendum præbuit (quod raro facere consuevit) venitque tunc ad illum officii causa Dux Arabiæ Mergangh & multi alii Proceres, Regis pedes osculantes. Eodem die Belgæ à Rege dono accipiebant togas auro intextas & ad pedes usque dependentes (*Gallatas* vocant) atque in aulam invitabantur ad regias dapes. Induti itaque tunicis illis contulerunt se in aulam, ubi Regem invenerunt sedentem in superbissimo splendore, positus ante eum in mensa multis cimeliis ingentis pretii. Deinde à Duce aliquo adducti sunt ad Regis pedes, quos postquam, gentis illius more, osculati fuerant, rursus deducti ad Ducem consessum. Elapsâ jam unâ circiter hora, fercula apponebantur omnia aureis patinis contenta quadringentis circiter. Interea dum cibum caperemus, ingressæ sunt triginta meretrices, quæ coram Rege choreas ducebant & alia ludicra peragebant, quibus peractis cibus eis præbebatur, sed separata à reliquis convivis mensâ. Belgæ postquam satis diu mensæ accubissent, surrexerunt & præstitâ Regi solenni reverentia cum consuetis cæremontis discesserunt. Undecimo die, qui erat Mercurii, supremus regni Cancellarius celeberrimæ famæ, dictus *Mierfa Tachius*, senex octoginta annorum, qui tredecim jam annis regno Persiæ præfuerat, hunc fortitus est vitæ exitum. Cum priori die, ut dictum est, Rex in splendidissimo throno sederet, accessit ad eum honoris ergo Dux Arabicus pedes osculo dignatus, quem cum Rex blandis verbis excipere vellet, Cancellarius *Mierfa Tachi* (postquam Ducem Persiæ primum, dictum *Ganigang* huic Arabico Duci loco cedere coegisset) hisce verbis eum compellavit: Vestræ Celsitudinis adventus est nobis gratissimus: quicquid vestra celsitudo petierit, id concedemus, ideoque V. C. de favore nostro non dubitare debet. Atque in toto hoc sermone nunquam Regiam Majestatem nominavit, sed quasi ex sua loqueretur auctoritate, voculâ *Nos*, usus fuit, quæ Cancellarii imprudentia vel arrogantia adeo Regem irâ accendit, ut manu acinacem tangeret aspiciens faciem *Ganigangh*, atque ei indicans hisce gestibus, ut illico cancellarium obruncaret. Sed dux *Ganigangh* (etsi Regis animum irâ inflammatum esse sentiret, & jam ante mensam, cum in venatione Regi testis verbis pravum regimen cancellarii proponeret, responsum à Rege accepisset hoc: Scio id equidem, Dux *Ganigangh*, & seni illi violentâ morte pereundum est) non tamen Regis sententiam probè cognoscebat, neque cui Rex succensus esset, conjiciebat. Interea Cancellarius forte, Regis iram nondum sentiens, oculos in Regem conjiciebat, sed Rex caput aliò deflexit, & paucis libatis cibus surrexit de mensa & descendit in aulæ inferiorem aream, ubi reperit equum Cancellarii ad gradus circa portam regiam consistentem: statim

K 2

statim non sine magnâ admiratione rogavit, cujusnam is equus esset? Respondit Dux Ganigang: Paetichia, hoc est, Rex, quis verò præter illum impudentem senem eâ esset audaciâ, ut equum suum in aulam hanc introduceret, cum Regiis equis extra hanc locus sit? Jam, reponit Rex, certò deprehendo diademati & scapulo meo illudere illum senem, ut taceam quoties me ignominiiis affecerit antehac? Cras itaque, Dux Ganigangh, faxis, ut caput illius impudentis canis, qui hætenus etsi indignus mei liberalitate sustentatus est, amputes, & truncum in multa frusta disseces.

Dux Ganigangh, qui capitalis hostis erat Cancellarii Mierfa Tachi, admodum gavisus est hoc Regis mandato, ideòque undecimo die octobris, matutino tempore cum aliquot aliis Proceribus & stipatus ministrorum turbâ properavit ad ædes Cancellarii, atque hujus caput amputatum est præter ullam ejus suspicionem; putabat enim illos accedere matutinæ salutationis & cæremoniarum causâ. Cæde patrata Ganigangh ad regem ivit, illique exposuit factum: Rex laudavit ejus promptitudinem. Sed delata necis hujus famâ in gynæceum cum omnes foeminae tum imprimis avia Regis ægrè admodum id tulerunt, ita ut hæc mitteret ministros ad Ducem Ganigangh, quæsitum. Cur senes ille, qui tot annis regno Persiæ cum summa industria præfuisse, necatus esset? Respondit Ganigang; vestræ Celsitudini à Rege Sophi, piæ memoriæ, urbs Giæfa assignata est, ut ex ea singulis annis frueretur reditu quingentorum thomannorum (Thomannos facit tres coronatos gallicos aureos:) ego vero demonstrabo, hanc regni proditorem Mierfa Tachi in quinque tantum mensibus plures quàm quater mille thomannos ex illa civitate exhausisse, &c. Dein avia Regem in gynæceum venientem ita allocuta est: Paetichia, cur adeò excanduit V. M. erga senem illum tam bene meritum de regno? Si quid peccavit abrogetur ei potestas regiminis. Rex respondit, illud factum est mater, & perfectum. Fuit hic Mierfa Tachi, è vili stirpe, & miles stipendiarius Regis qui ante hunc regnavit: sed paulatim per honoris gradus ad hunc supremum totius Persiæ post Regem ascenderat.

Decimo quinto Octobris die magnus per totam urbem tumultus & populi concursus, omnium animi suspensi novitate rerum, quoniam hi, quos nominabimus, viri, partim in regia, partim in gynæceis suis necabantur, nempe:

Magnus Dux Ganigangh, Tribunus militum  
Dux Nachdialigangh  
Filius Ducis Tofftagangh  
Dux Arabgangh tribunus armamentarius  
Mierfalibeecq.

Causa hujus lanienæ, eaque vera fuisse dicebatur, quod Dux Ganigangh

Ganigangh de avia Regis, quam sibi minus favere & conatibus suis semper resistere sciebat, necanda consilium cum aliis ceperit Magnatibus, & quod hæc de causa præterita proximè nocte in ædibus Ducis Ganigangh convenerint. Adsciverant verò in hoc suum foedus Regii vini Curatorem & confectorem, propterea quod hunc quoque ex interfecti Cancellarii Mierfa Tachi inimicis fuisse scirent, & virum magni consilii promptumque manu. Cum itaque nocturno conventu constituissent, aviam Regis vi ex gynæceo sequentis diei aurora extrahere atque necare, unusquisque soluto consilio in suam reversus est domum, ministris suis mandans, ut si quæ turbæ excitarentur, arma parata haberent.

Verumenimvero hic vini curator ultimo loco assumptus secum reputans, quod liberalitate Regis tanto jam tempore frueretur & quod sine dubio in regium quoque caput ex hoc facinore periculum aliquod redundare posset (quoniam Dux Ganigangh ante paucos dies triginta millia militum clanculum ex diversis locis evocaverat in subsidium, propositum habens de omnibus Regiis ministris trucidandis) statim simul ac concilium dimissum erat, ad janitorem Regiæ arcis se confert atque huic periculum, quod avia & aliis magnatibus impenderet, aperit: janitor illico Regi hæc denunciari curat. Rex magnopere miratus, quippe qui antehac Ducem Ganigangh magno profectus erat amore, vix fidem adhibebat, attamen delator tales enarravit circumstantias, ut credere cogeretur. Itaque mandavit, ut simul ac matutino tempore Dux Ganigangh cum aliis aulam esset ingressus, omnes ii trucidarentur. Venere summo mane Dux Ganigangh & Nachdialigangh, atque ut à Rege præceptum fuerat, capita eorum amputata sunt: reliqui complices in suis ædibus interfecti: duodecim capti. Atque in hisce necibus ex mandato Regis, necandi nihil criminantur, neque alia verba proferunt, quam hæc: Regis caput salvum sit & incolume: hic tibi meum præbeo amputandum. Et cum hisce cervices abscindendas præbent.

FINIS.

K 3

TRA-



TRACTATUS  
DE  
RELIGIONE  
IN  
REGNIS JAPONIÆ.

CAPUT I.

*De Japonensium Religione & Sectis.*

**R**imperscrutabilem supremi Numinis majestatem tum in aliis hujus Universi miraculis, tum vel præcipuè in diversorum populorum de rebus divinis diversâ opinione & cognitione perspicere licet. Nulla enim profectò res est, quæ majorem spiret dignitatem, quàm religio, sed & nulla, quæ plures apud varios populos varietates experiatur, nulla quæ pluribus sit obnoxia mutationibus.

Septentrioni adversus est Auster, Oriens Occidenti, cœlum immani distat à terra spatio: sed opinionum, quas mîseri mortales de rebus sacris diversas tenent, imprimis qui longiori à se invicem intervallo remoti sunt, tanta est diversitas, ut omnium aliarum rerum superet discrepantiam. Deus quidem ter opt. max. verum sui cultum, quæ immensa ejus est bonitas, humano generi, primitus revelavit: eam autem scientiam deinde in paucis conservavit, plurimis gentibus vel particulam ejus tantum, eamque



eamque inanibus hominum commentis depravatam, remanere vel omnino progressu temporis aboleri propter grandia illarum peccata & pro justissimo suo arbitrio atque consilio, quod homini nefas est scrutari, permisit. Nec tantum hoc, sed indignas quoque aliquas earum judicavit, ad quarum aures ulla de Christo unico nostro Propitiatore vel fama multis post ejus natalem seculis perveniret. Id adeo in Americanis populis per navigationes exploratum hodie est, ut negari non possit, nec minus certum de Japoniis, apud quos neque Judaicæ, neque Mahometanæ neque Christianæ religionis ulla vestigia deprehensa sunt, ita ut non tantum veræ fidei expertes sint, sed etiam talem foveant religionem, quæ ex vera nulla ex parte derivata sit, etsi in non paucis ei similis, sed plurimos Pontificiorum ritus & ceremonias observet, ut ex ipsa Descriptione Jesuitarum constabit. Quoniam autem priori libro de rebus tam regni administrationem quam usum civilem spectantibus pertractatum est, operæ pretium me facturum putavi, si ea quæ circa Religionem considerari solent, hic subjungerem, præsertim cum in nulla unquam regione inde à Christo nato Christiana fides majori sit afflicta persecutione, in nulla crudelius extirpata, denique à nulla severiori magisque impia diligentia & providentia hodiernum prohibeatur. Primo itaque de ipsorum falsa religione, deinde de Christianæ Religionis introductione, ultimo loco de hujus extirpatione dicemus. Atque hæc omnia eam potissimum ob causam facimus, ut, si quos forte Christianæ fidei præcones posthac cura tangat convertendæ hujus gentis, nostro hoc labore iis inserviamus.

Et hoc quidem capite de opinionibus illorum in rebus sacris & diversis sectis proponemus ea, quæ apud Scriptores illos reperiuntur, qui in Japonia diu vixerunt; idque ipsorum verbis. Etsi enim & brevius & ordinatius hæc absolvere possem, si meo arbitrio Orationem conformarem, tamen quia majori & jucunditate & fide leguntur, quæ à præsentibus rei, de qua agitur, scripta sunt, existimavi, majorem quoque me à lectoribus gratiam initurum, si ipsa autorum verba, in ordinem tamen digesta afferrem, annotatis illis ubi dissentiant eorum narrationes; namque interdum Japoniis quædam affingunt, ut pejorem reddant illorum Religionem, quæ vel ipsi commenti sunt, vel à neophytis male narrata accepere.

Præterea Maffeus & Tursellinus, dum aliorum epistolas Lusitano scriptas sermone in Latinum transtulere, omnia in majus videntur auxisse, ut eo grandior esset oratio.

Xaverius pag. 237. ita fatur: Sectarum, quæ hic florent, ratio à Sinis adscita est, quæ gens est in Continenti e regione Japoniæ. Hinc memoriam habent Japonæ literis consignatam autem

rum cujusque sectæ, qui bina aut etiam terna annorum millia in solitudine voluntariis se pœnis afflixisse dicuntur. Horum Principes numerantur XACA & AMIDA.

Disciplinæ (sectæ) vel virorum, vel mulierum sunt omnino novem, legibus inter se institutisque differentes: liberum est cuique ad eam, quam maxime probat, animum applicare. Quare usu venit, ut sub iisdem testis aliam sectam vir, aliam uxor, aliam liberi sequantur. Neque ea res ulla fere turbas excitat, cum liceat cui ut quisque velit, vivere. Veruntamen sæpe inter eos controversiæ & contentiones existunt, cum suam quisque disciplinam reliquis anteferre conatur, atque etiam interdum venit ad manus. De mundi atque animarum procreatione in hisce disciplinis omnibus mirum silentium. Omnes piorum atque improborum sedes nominant, nulla tamen earum, aut cujusmodi sit beatorum sedes, aut cujus imperio improborum animi ad inferos detrudantur, ostendit. Suos tantum autores prædicant, qui ut saluti consulerent hominum innumerabilium, nullis sua peccata pœnis expiantium, acerbissimos sua sponte cruciatus subierint, maximeque diuturnos. Proinde confirmant, eos omnes, qui nullas suorum delictorum pœnas luerint, si sectarum suarum Principes conditoresque imploraverint, ab omnibus incommodis libertatum iri, ita tamen, si magnam eos fiduciam imploraverint, omnemque in eis spem reposuerint suam. Ac persuasum habent fore, ut vel ex inferis eorundem deprecatione eripiantur. Sed hæc quas dixi disciplinæ innumerabiles fabulas & mira quædam de suis Institutoribus perhibebant, quæ longum esset exponere. Ex hisce sectis nonnullæ trecena, aliæ quingena præcepta continent: OMNES tamen consentiunt, quinque præcepta esse præcipua, ac planè necessaria. Primum, Non occidendum, nec occisum quicquam comedendum. Alterum, Non furandum. Tertium, Non mœchandum. Quartum, Non mentiendum. Postremum, Abstinendum à vino. Atque hæc quidem leges communes sunt disciplinarum omnium.

Frojus in epist. Ind. p. 198. Cum ita multæ atque ita inter se pugnantibus numerentur superstitiones atque familiæ, in eo tamen vel maxime laborant magistri, ut sua quisque mendacia & fabulas ita discipulis probent, nihil ut præterea verum, nihil ad æternam salutem tutum, nihil dignum quod audiatur existiment. Accedunt alia quoque artificia, incessus gravitas, oris atque habitus dignitas, denique species omnis exterior, quibus rebus Japoniorum peccata tantis opinionum perversitatibus imbuuntur, tantamque ex iis fiduciam ac spem salutis æternæ concipiunt, non solum ut domesticos intra parietes, verum etiam in publico, totaque urbe rosaria fere semper manu percurrant, ab Amida, Xacæque divitias, honores, bonam valetudinem, sempiterna gaudia suppliciter postulantes. Idem

Idem pag. 209. De populi ad conciones concursu ait: Unus horæ spatio auditores illi omnes ad parvi pulsum tintinnabuli nixi genibus, incredibili quadam significatione pietatis, rosaria manusque tollentes in coelum, in oratione persistunt, vociferantes assidue: **NAMUAMIDA AMBUR**, hoc est, Da salutem Amida: quod ipsum nomen etiam domi forisque seu emant aliquid seu vendant, modulata quadam pronuntiatione gestientes ac libentissime sæpius invocant. Quin etiam pauperes ipsi inter emendicandum iis, a quibus eleemosynam petunt, propitium precantur Amidam. Bonzii vero ac legis periti verba illa plebi inculcare non desinunt: **ICHINEM, AMIDABUR, SUCUMET, MURIOO, ZAI**, id est, quisquis Amidæ sanctum nomen ex animo invocaverit, procul dubio salvus erit.

De hisce globulis in precibus, non dissimili modo ac Pontificii faciunt, testatur quoque Xaverius p. 251. dicens: Utuntur Japones omnes ad preces serie quadam orbiculorum bene longa, atque inter orandum gradatim ad singulos orbiculos suæ sectæ implorant autorem. Hanc autem, quam dixi, precum seriem percurrunt alii crebrius, alii rarius. Vide quoque p. 259.

Idem ait, persuasum habere Japones, in illa beatorum sede epulas cultumque vitæ suppetere cum elegantia & copia: atque ut quisque apud Xacam & Amidam maxima in gratia fuerit, ita apud omnes in maxima gloria futurum.

Ad eorum fiduciam in Deos suos declarandam etiam hæc faciunt, quæ & Xaverius & Frojus de quibusdam in ora maritima voluntariam mortem eligentibus narrant. Frojus p. 197. ita proponit: Ii, cum Amidæ sese eximio quodam cultu devoverint, ejus visendi cupiditate flagrant, mortem ultrò sibi ipsi consciscunt. Ac primum emendicata per aliquot dies stipe, & in manicas inditâ, publicè concionantur ad populum, totamque consilii sui rationem exponunt, magna omnium approbatione: tantam quippe sanctimoniam cuncti suspiciunt: deinde sumptis falcibus ad vepres ac sentes, qui ad beatorum sedes iter impediunt, præcidendas, navigium conscendunt novum, saxisque ad collum, brachia, renes, crura, pedesque religatis, in altum provecti, vel perforato de industria merguntur alveo, vel etiam deinceps in mare singuli sese præcipitant. Alveo vacuo confestim ignis ab amicis ac propinquis officii causâ proprio separatim navigio profectus injicitur, nefas putantibus, navem tantis religionibus consecratam ab ullo profus in posterum attingi mortalium. Cane dum nos peteremus Meacum, octo diebus antequam ad Insulam Hlu pervenimus, viri sex, foeminae duæ simul eo genere lethi perierant ad oppidum Fore. His deinde populus ædiculam universis, columnarum pinumque singulis, perpetui honoris causâ prope litus

erexit.

erant, & imposita baculis complura chartæ segmenta, ædiculæ toto recto defixerant, carminibus plurimis intra parietes propositis, quæ beati illius cœtus egregias laudes celebrarent. Itaque visebatur locus die nocteque superstitionissimè. Ac forte per eos dies dum ad quendam infantem Baptismo lustrandum ego & Ludovicus Almeida tendimus, illac nobis iter facere contigit: atque eo ipso tempore prodeuntes à sacrario quinque circiter vetulæ cum globulis precatoriis, quæ vulgo *rosaria* dicimus (adeo Christianos mores Lucifer æmulatur) partim ridere ludibrio nostram dementiam, partim severo vultu nobis impietatem exprobrare, sacrum illud monumentum nullâ veneratione, honorisve significatione prætereuntibus.

Hæc quoque & aliud voluntariæ mortis genus Caspar Villela pag. 116. eleganter & quibusdam quæ in priori narratione non sunt, additis ita exponit: Nunc paucis exponam, quod anno superiore me fugit. Japonii miseri, cum ad sedes, ut ipsi putant, beatorum migraturi sunt, quâ ratione se ad iter accingant. Eas autem varias esse opinantur, alias infra maria, alias alibi, certis præpositis Diis qui à quibus in vita culti sunt, eos in suum quisque domicilium perducant præmii loco. Atque ad infernas sedes qui profecturus est, hoc maxime modo se comparat. Dies complures stat vigilans, & quodam quasi suggesto de Mundi contemptu concionatur: huic alii sese comites adjungunt, alii stipem eleemosynæ causâ largiuntur: novissimo autem die orationem habet ad comites, qui pro amicitia simul omnes epoto vinorum conscendunt naviculam, impositâ falce ad spinas rubosque qui occurrunt in itinere, præcidendos, novisque induti vestimentis, manicas lapidibus infarciunt: ad collum autem ingenti saxo religato, quò citius ad paradisum illum suum perveniant, sese è navigio sponte præcipientes dant. Quem mihi videre contigit, hunc septem comites sequebantur, qui quidem tanta cum animi alacritate & gaudio in mare sese projecerunt, ut novitate spectaculi planè obstupuerim. Qui autem Amidam venerantur, alium ritum observant. Cum eos tædium cepit vitæ, in specum ad instar doli, in quo confidere possint, sese conjiciunt, ita ex omni parte connectum, ut una tantum ex arundine perforata spiritum ducant, atque ita jejuni ad mortem usque persistunt, assidue Deum illum suum seu potius Dæmonem invocantes.

Illa quoque, quæ Frojus p. 214. enarrat, ubi mortem uxoris Cubi, de cujus cæde cap. v. prioris libri dictum est, describit hisce verbis: Regina inter ancillarum greges tum quidem elapsa feliciter, in quoddam sese cœnobium recepit, passibus mille circiter & quingentis ab urbe disjunctum, sed paulò post à conquisitoribus deprehensa, ubi sese Dajondoni & Mioxindoni jussu morti destinatam esse cognovit, chartam atque atramentum poposcit,

poscit, scripsitque suâ manu multis verbis ad filiam utramque literas, quarum erat clausula: viro suo per summam injuriam rebellibus interempto, se quoque nullo suo merito ad necem rapi: veruntamen æquissimo animo sese mortem obire, nec dubitare, quin hoc totum pro sua infinita clementia de se statuisset AMIDA, quo citius ad paradisi gaudia pervenire, ibique Cubo suo in perpetuum perfrui sibi liceret.

Deinde obsignata epistola, cum Bonziis, apud quos delituerat, gratias egisset, ad aram Amidæ perrexit: ibi manibus sublati in cœlum, obtinendæ indulgentiæ causâ AMIDAM bis invocant nominatim, & simul Cœnobiarcha ad absolutionis indicium manus capiti supplicantis imponit. Inde regressa in cubiculum, elatis manibus AMIDAM rursus appellans, à militibus jugulata est.

De eadem regina idem Frojus p. 201. testatur, quod in privatis ædibus facellum Amidæ coluerit (quod etiam alios Magnates facere epistolæ commemorant) his verbis: Eam (reginam) invenimus in cœtu nobilium fœminarum sedentem ante facellum ornatissimum, in quo erat Amidæ puerilis effigies egregiè picta cum diademate, aureis è capite radiis emicantibus. Pag. 85. Villela ita: Ipso navigationis initio tanta repente malacia extitit, ut navis loco moveri non posset. Tum barbari, ut muneribus pacem venturumque à Diis obtinerent, stipem singillatim à vectoribus corrigare cœperunt.

Xaverius p. 198. ait; Japonii sermones de Deo rebusque divinis audiunt avidissimè, præsertim cum satis ea, quæ dicuntur, intelligunt. Idem aliis locis & ab aliis Jesuitis scribitur. Atque ex his quidem de ipsorum Religione & Zelo judicare licet, quæ tamen Caronius extenuat, dum nationem hanc non admodum religionis studio duci nec superstitionibus deditam esse scribit, illorumque nec matutino nec vespertino tempore nec ante cibum nec post sumptum nec intermediis horis precari Deos, (quod etiam à nautis plurimis accipi:) imò pro religiosi haberi, si qui singulis mensibus semel templum frequentent. Idem quoque scribit, se nunquam vel audisse vel ab aliis accepisse, Japonios de religione inter se decertare, neque illos quicquam impendere operæ, ut amicos vel consanguineos suos vel etiam peregrinos ad suam adducant religionem, sive alterius sectæ cultores ad suam sectam, sed unumquemque in sua persistere religione sine ulla accusatione vel impedimento: neque tamen plebeios ita esse tenaces sectæ suæ, ut non facile mutet eam cum aliâ, si tempore necessitatis centum imperiales illo ipso lucrari possit.

Sed hæc Caronii verba vel de maritimis tantum populis, apud quos toto ferè tempore mercatores commorantur, intelligenda sunt, qui quantum ab interioribus differant, dictum, & cvxx, vel

vel minus accuratæ annotationi inquisitioni Caronii, quippe literarum studiis haud imbuti, & ut solent mercatores, non multum de hisce solliciti, ascribenda sunt.

Animorum quoque Pythagoricam transmigrationem Bonzios statuere manifestum est ex capite x111 l. 1v Turfellini de vita Xaverii. Ita enim Bonzium dixisse narrat: Scito igitur, nullum mundi, humanique generis principium fuisse, nullum item extremum fore. Itaque hominum animi, quippe immortales, in alia ex aliis deinceps migrant corpora tum marium, tum fœminarum pro Lunæ cum Sole, astrorumque conjunctione, quæ tenera corporum membra fingit firmatque. Proin mentes quæ valent memoriâ, (cujusmodi mea est) facile reminiscuntur omnia, quæcunque in vita gesserint, cum alia corpora animarent: obliviosæ autem, non item.

Cæterum de Diis, quos colant, nihil ferè annotatum invenio, nisi quod Xaverius p. 191. ita scribat: Plerique præscos quosdam homines colunt, qui (quantum ego cognoscere potui) veterum Philosophorum more vivebant: plurimi Solem, nonnulli Lunam colunt. Si quando jurant (quod tamen perraro faciunt) per Solem jurant. Et Almeida in Epist. Ind. pag. 168. ipsos Solem & Lunam adorare refert. Et Turfellinus in vita Xaver. p. 343. Bonzios dicit gloriari, quod familiares sint Solis, astrorum, Deorumque cœlestium, quibuscum nocturnos sæpe sermones, sæpe etiam complexus jucundissime misceant. Neque id vero ab simile videtur, quandoquidem Astronomiæ nullam habent cognitionem & ideo omnia cœlestia phænomena admirantur: Caronius tamen nihil ejus meminit, quod miror: sed eos frequenter in ore habere nomen Nammanda, quod præcipuum eorum Deum denotet. Suspicio illum malè intellectâ voce, pro AMIDA, apprehendisse Nammanda. Neque enim alibi meminit Amidæ, nec Jesuitæ usquam meminerunt Nammandæ. Frojus p. 245. dicit, Quanonem Deum miro cultu Japonios omnes venerari, quod persuasum habeant, ab illo Deo longioris vitæ spatia, bonam valetudinem, divitias impetrari: Bonzios quoque Frenojamanos sacra quotannis eidem ac ludos ingenti apparatu sumptuque persolvere. Habere autem illos quocunque in Deorum numero homines antiquos, atque hos adorare, jam in præcedentibus dictum est de XACA & AMIDA, de quibus Xaver. p. 251. ita loquitur: Bonzii ac Bonzii cineracei coloris & maxima populi pars Amidam, reliqui tametsi Amidam non aspernantur, tamen Xacam præcipuè colunt. Sciscitatus sum diligenter, an hi, quos dixi, Xaca & Amida homines fuerint aliqui sapientes: atque obsecravi Christianos, (neophytos,) ut eorum vitas mihi perscriberent. Denique comperi ex eorum libris, illos haudquaquam homines fuisse. Quippe millesimum aut etiam bis mille-

millesimum annum explevisse dicuntur: Xaca autem octies milles natus perhibetur, aliaque ejusmodi permulta de illis memoria prodita sunt, quæ fieri nullo modo possunt. Itaque sic statuo, eos non homines, sed mera Diaboli fuisse portenta. Sed pag. 237. ait, illos bina aut etiam terna annorum millia in solitudine voluntariis se poenis afflixisse a Japoniis commemorari. Et Frojus in epist. Ind. p. 208. commemorat ita: In medio phano quodam machina lignea, sculptilis, variisque picta coloribus, multis forulis collocatos continet libros ab uno Xaca conscriptos, eademque ut est versatilis, quem quisque voluerit librum, offert protinus: & quidem tanta est voluminum copia, ut incredibile sit, vel una ætate a multis autoribus, vel multis ætatibus ab uno autore confici potuisse. Sed innumeros quoque in Theologia ibi esse libros testantur epistolæ multis locis. Præterea Sanctos multos ab illis coli & in Deorum numero haberi, appellari autem partim Foto ques, partim Camos, quorum illi sacerdotes & pii viri olim fuerint, atque duro vitæ genere præclari extiterint & eruditione: hi heroes, qui fortibus factis vel novis inventis famam consecuti sint. Et Fotoques quidem invocari, si de salute æterna post hanc vitam agatur: a Camis autem ea peti, quæ homines bona censent, ut honores, divitias. Cujusdam Divi, nomine *Cacubau*, mentio fit in epist. p. 115, qui à Neugoris Bonziis, quorum sectam ipse instituerit, veneretur. De Divo Combadaxi, item de autore sectæ Icoxas, & de Divo Nequirone, & Divo Daimaogini pag. 93. hæc leguntur: Ante octingentos annos ferunt in hac urbe (Sacajo) versatum Bonzium quendam, Combadaxi nomine: quem equidem existimo hominis forma Dæmonem fuisse: adeo nefaria scelera ab eo excogitata, cæterisque demonstrata narrantur. Hunc tradunt deducere stellas a cælo, & futura prædicere solitum: inventorem etiam literarum fuisse, quibus Japonii utantur, sibi que multa, cæque magna templa ædificari jussisse, extremaque jam ætate subterraneum sibi effodi specum, in quem ultro se condidit, cum diceret, se jam vitæ hujus fatietate teneri, & in eo specu viventem velle quiescere ad annorum decies milles millena millia; quo tempore fore, ut magnus quidam in Japone Doctor existeret, seque tum in lucem hanc esse rediturum. Eo sermone habito, se intra specum obturato ostio occludi imperasse. Magnum est ejus ubique nomen, & vivere etiamnum creditur, multisque se per visum offert, & ab eo plerique suppliciter opem implorant. Anniversaria verò illius diei solennia, quo die sese in specum abdidit, mirum quantâ remotarum etiam nationum frequentia celebrentur. (Frojus pag. 192. de eodem Combadaxi eadem ferè narrat, additque multos esse ejus cultores Bonzios & Bonzias, cœnobita, templa, & insuper hæc: Circa ipsius sepulturam lampades

padès ardent multæ, è variis eò missæ provinciis. Persuasum est enim genti, quicumque in id monumentum exornandum largi ac benefici fuerint, eos non in hac modò vita divitiis auctum iri, sed etiam in altera ipsius Combendaxis patrocinio futuros incolumes. Vide ibid. plura.) Alii præterea aliis ætatibus fuere tres vel quatuor Bonzii summâ eruditionis existimatione, quibus item magni honores habentur: sed uni præsertim, quem ante annum trigessimam vixisse perhibent, autorem sectæ ejus, quam *Icoxos* vocant magnâ apud plebem auctoritate. Magna est etiam sanctitatis opinio Bonzii Nequiron, qui ante quingentesimum annum floruisse dicitur. Julio mense festum diem ægunt Daimaogini, quem excellenti sanctitate virum, asseclam aiunt fuisse præsci cujusdam Imperatoris. Hunc Sacajani adorant, templis compluribus ei dicatis, &c. ●

Idolum Denichi, qui sine dubio etiam pro Divo ab illis colunt, commemoratur p. 190. Et p. 135. Deum rei militari præpositum vocari *Marijfinem* atque illum Japonios magno cultu venerari scribitur.

In magna quoque veneratione esse Canonem, filium Amidæ, ex eo patet, quod illius mille imagines certo ordine dispositæ, hinc inde quingenæ, eadem omnes formâ, ore venusto, egregie factæ in quodam templo circa Meacum conspiciantur: tres præterea Divi ponuntur p. 64, nempe Foben, Mion, Quæquius; nisi fortasse ea nomina sunt librorum quorundam Theologiæ. Sectæ. Et p. 180. Idolorum Daibur, Tamondea, Besamondes, Homocondis, Zojolis, quibus cœli præfectura vulgo tribuatur. Et p. 250. Iizus, qui manibus mortuorum ad cœlum ducendis præsit. Frojus ait p. 202. Sed Almeida p. 180, Canonem & XIX facit Xacæ filios. Reliquorum Divorum nomina non reperio annotata: itaque jam de sectis quædam adjungenda sunt.

Xaverius facit sectas novem, ut ex illis quæ initio hujus capituli ex eo attulimus, manifestum est, & aliis locis idem testatur. In epistolis Indicis p. 68. plures quam undecim esse dicuntur: Caronius duodecim esse sectas affirmat: sed quibus in rebus inter se discrepent, & quæ sint ipsorum opiniones, non annotarunt, nisi obiter.

1. Kingovini Bonzii pag. 64. ep. Ind. ponuntur illi, qui Divum Denichi colant. 2. Ienxvani, qui Foben: 3. Foquexani qui Mion. 4. Iondaxuenses, qui Amidam: 5. Xintani qui Quoquim. Principales autem sectæ sunt illæ duæ, quarum asseclæ colunt præcipue vel 6. Amidam vel 7. Xacam. Pag. 61. fit mentio 8. sectæ Baracacque, cujus cultores meditationibus quibusdam arbitrato suo confictis vacant: præterea ibidem secta 9. Tendavi ponitur, sed qualis sit, non adjicitur Pag. 230. Capralis sectam

Itam 10 Icoxuanam ita describit: Icoxuana secta in his locis Lutheranæ, videlicet in Europa respondet: siquidem ad beatitudinem nihil aliud requiri affirmant, præter unius nomen Amida, ejusque præstantissimis & salutaribus humano generi meritis injuriam fieri, si quis opera virtutis & suam cujusque industriam esse præterea necessariam ducat hæcenus Capralis. Cæterum non fuisset opus hoc condimento de Lutheranis desumpto.

Nam si cui assimilanda est Japonia religio ex Christianæ fidei Sectis, sanè Pontificia adeo multis cum Japonensi convenit, ut in hoc quidem genere reliquis palmam facile præripiat, ut capite x dicetur. Itaque Capralis illud Solonis potius debebat perpendisse: *Nosce teipsum.*

Sed eandem sectam Villela p. 93. ita proponit: Secta Icoxos magnam apud plebem autoritate, cui sectæ Bonzius semper cum imperio præsidet, stupris flagitiisque palam turpiter deditus, quem plebs nihilominus tanta pietate ac veneratione prosequitur, ut si eum modo adspexerit, vim lacrymarum profundat, solvique se admittis noxis ab eo suppliciter petat, &c.

Caronius verò ita pag. 23. Duodecim sectæ sunt, ex quibus undecim sacerdotibus prohibent omnem cibum, qui ab animalibus defumitur: neque licet illis conversari cum foeminis.

Duodecim secta maximæ est dignitatis & eruditionis, cujus sacerdotes non tantum uxores ducunt, sed etiam animalium tam terrestrium quam aquatiliam carne sine religione vescuntur, appellaturque hæc secta *Icko* vel *Ickois*, plurimas tamen habet superstitiones.

Pag. 63. epist. Ind. hæc reperio: Bonziorum familia (secta) quæ a Faxequu nomen duxit vitam severiorem cæteris omnibus profitetur. Xaverius p. 192. sectam quandam quæ laxiore disciplina fruatur, describit, sed non nominat.

Idem aliud monachorum c. 11. genus describit p. 219, qui Legi-Oxi 10 dicantur, & ejusdem generis foeminarum, quas *Hamacutas* nominent. Ordo quoque alius & Bonziorum qui *Neugori* dicuntur, a reliquis sectis diversis à Cacubau institutus, de quibus plura cap. prox.

De Iamambuxis Villela p. 47. ita: sunt etiam qui Dæmonem colant, eoque familiarissime utantur, quos *Iamambuxas*, hoc est, milites convallium appellant. Ii ad famam sanctimoniam colligendam, sese graviter puniunt, stant, vigilant, cibo parcissimo utuntur: altero denique vel tertio mense, ubi satis factum Diabolus pronuntiaverit, nonnullis amentiarum sociis unam secum adhibitis, emendicatam a popularibus stipe, mare petunt, naviculamque conscendunt cujus sentinam ita perforant, ut acceptam paulatim aquam mergatur. Sed hæc malè à Villela narrari nemo non videt. Quis enim credat homines tam fatuos vivere ut Diaboli causa

talia

talia perpetiantur? Itaque ipsi proculdubio ad Deorum comparandam sibi gratiam talia ferunt, in quo etsi errent, tamen dici non potest, quod ipsi scientes Diabolum colant.

Idem Villela de secta Fotoquorum ita: Est etiam hæresis eorum, qui lingua patria Fotoqui vocitantur, in opinionum suarum pravitate usque adeo pertinaces, ut aures Evangelio prorsus occludant. Negant enim fidem habendam nisi scriptis iis quæ apud se habent, & pro miraculo est, si quis eorum Christiana sacra suscipiat.

De Iamambuxis Frojus p. 191. in epist. ita: Alia est familia sanè frequens eorum, quas *Iamambuxos* vocitant, crispante ac vibrato capillo: ii res vel amissas vel furto sublatas ita comperiunt. Statuunt ante sese puerum: hunc Dæmon certis evocatus carminibus occupat: ex eo deinde puero, quod avent cognoscere, sciscitantur. Horum preces in utramque partem multum valere creduntur.

Itaque preces eorum faustas æquè dirasque pretio populus comparat. Hujus ordinis candidati, antequam admittantur, bis terve milleni simul montem quendam editissimum petunt. Ibi sexagesimum diem poenitentiarum nomine, ubi sese voluntario supplicio maceraverint (quo ipso tempore sese illis dæmon varia specie visendum offert) quasi jam lauream donati, & in cæteram ascripti familiam, floccis quibusdam albis ornantur è collo pendentes, atrisque pileolis, qui non nisi summum capitis verticem tegant: atque his tanquam insignibus inde Japonias provincias peragrunt, sequæ operamque suam ubique venditant, adventum suum in oppida significantes pulsū catilli, quem secum circumferre singuli soliti sunt.

Non desunt alio nomine Gengues, qui res item furto surreptas, furesque ipsos per divinationem demonstrant.

Ii in præcelso montis jugo sibi domicilium collocarunt: oris atro colore ob assiduam solis, pluviarum, venti, geluque patientiam. Uxores ducunt, sed non nisi ex suo genere ac stirpe, &c. nam quæ subjungit, parum verisimilia videntur. De iisdem Caronius loquitur dicens: Quidam alterius sectæ in gravibus & diuturnis morbis adhibent montanos sacerdotes (*berg-papen*) qui toto die ac nocte ante ægrotum confidentes legunt atque blaterant ita ut ne unum quidem verbum intelligi possit, quandoquidem omnes religiones & ad eas pertinentia in diviniore & doctis tantum cognita lingua perscripta sunt, nec scriptura cum vulgari convenit & ab rudibus sine informatione legi nequit. De iisdem Hagenus ita: Vidimus homines, è quorum humeris funis quidam dependebat, in qua multi globuli & nodi, ut nostræ rosæ, sed maxima ex parte albi conspiciantur: Oculi illorum similes sunt illorum oculis, quorum visus fractus est; hi appellantur *Iamambuxos*.

L

boos,

boos, nostris Papæ montani, & Diabolorum fugatores. Narratum est mihi, quendam diu morbo vexatum, vocari ad se iussisse celebrem quendam Iammaboos, qui cum jam longo tempore clara voce legisset & locutus esset, responsum illi esse alia voce (nullo autore viso) quam astantes audissent: Quid me afflicta, ego non sum is, qui tibi hæc infert, sed vir ille, tuus inimicus misit me ad te cruciandum: illi satisfacias, sic decedam. Cæterum ex omnibus sectis pessima est illa quæ Xenxuana dicitur: hæc enim sola Epicurea est.

De illa Xaver. p. 246. E novem sectis quæ in Japonia vigent, una duntaxat animos mortales facit, quæ à cæterarum disciplinarum studiosis habetur deterrima.

Ejus sectæ homines nequissimi flagitiosissimique sunt, neque ullam inferorum mentionem ferre possunt. Eiusdem mentio fit in epistolis Ind. p. 54, & 242. addito nomine expressè, & eam nullos Spiritus admittere, neque quicquam credere nisi quod sensibus percipiatur. Caronius dicit, eos statuere, hominem omnino non habere animam. Cum itaque Xaverius clarè asserat, unam tantum sectam hanc belluinam fovere opinionem, minus rectè Maffeus p. 564. ait, Bonzios omnes in tollenda pariter Dei providentia & animorum immortalitate consentire: Inter docendum hoc tantum interesse, quod impietatem hanc pauci palam & promiscuè cunctis hominibus, alii non nisi nobilibus ac dynastis ex arcano tradunt: vulgus ac multitudinem tartari metu in officio continendam.

Porro Xaverius p. 132. ita ait: Ante nostrum quidem adventum perpetuo, ut accepimus, pugnabant inter se, cum suam quisque sectam optimam esse contenderet.

Sed postquam nos audierunt, certamine de suis disciplinis ac religione omisso, de lege Christiana certare coeperunt universi. Hæc de sectis. Non omittendum, quod Almeida p. 168. in epist. Ind. scribat, Japonios adorare quoque cervos, aliasque belluas vario ritu.

Et Villela p. 47. Diabolus magnopere fatagit, quo brutorum animantium specie vulgo adoretur, atque ut boves colant, hominem occupat: percontantibus nomen, respondet, se regem esse boum: rogatus ut abeat, negat se ex homine discessurum, nisi templum sibi exædificaturos esse recipiant. Si pollicentur, abscedit: si promissa non fecerint, rursus revertitur, oppressumque hominem variis cruciatibus torquet, quousque phanum ædificent, in quo varias belluarum figuras pro numine venerantur, capitali etiam alicubi proposita poena, si quis bovem occiderit. Interdum etiam venatores, siquam feram interemerint, suis veneficiis in morbum inducit: itaque ejus rei metu feras pro dæmone suppliciter colunt. Alibi etiam Dæmones adorari commemorant epist. stolz:

stolz: ut p. 203. Frojus ait: In aliquibus magno cultu adoratur statua Cacodæmonis, facie magis etiam, quam apud nos pingitur, foeda & horribili. Et alibi similia reperiuntur. Cæterum de brutis expressè contradicit Xaverius p. 191, dicens: Animantium specie Deos nullos venerantur (Japonii) nec Caronius quicquam de eo annotavit, quod certe, si ita res se haberet, non omisisset, cum tot annorum spatio, quibus ibi vixit, non potuerit illum hoc latere. Quod verò Diabolum non adorent, ex eo manifestum est, quod ad inferni cruciatus effugiendos, omnia, quæ possunt, præstant, ut jam in præcedentibus dictum. Nec verò id eorum narrationem confirmat, quod in templis Japonensium, reperiantur Diaboli effigies horrendæ, & multo, quam nostræ picturæ referunt foediores. Id enim faciunt ad hominum animos à flagitiis deterrendos. Namque in epist. p. 179. legitur: Concionatores Bonzios inter dicendum atrocissimos inferorum cruciatus in tabula depictos ostentare, horrendaque illa specie phanum cum populi universi tum verò mulierum plangore ac lamentatione compleri. Pag. 180. Almeida scribit ad alicujus phani januam conspici duos janitores (Divos) qui calcant singuli pede Dæmonem. Et pag. 208. Frojus: Aliud etiam phanum in reditu vidimus inferorum Regi dicatum, cujus præcelsum horribilo trucique aspectu simulacrum, regio scepro insignitum, duobus hinc inde ingentis item staturæ dæmonibus cingitur, quorum alter calamo describit hominum noxas, alter descriptas in tabula recitat: parietes picti varias inferorum ostentant poenas, quibus plurimi sexus utriusque mortales dæmonum ministerio cruciantur. Celebratur autem ædes hæc, augeturque pecuniis ferè assidue: nunquam enim desunt, qui ad regis effigiem timore perculsi, ea ab sese tormenta atque supplicia deprecantur. Hæc sanè aliquem cultum Dæmonis innuunt, at in capitis huius initio ex iisdem Jesuitis audivimus, quod Bonzii auditores tantum ad Deos, & Xacam atque Amidam invocandos adhortentur, non verò ad Diabolum invocandum. Quanquam ratio non desit, cur id faciant, nimirum quia ignorant, Deum habere in Dæmones potestatem, sed hosce æquali cum Diis esse putant potestate. Atque in India quoque quasdam gentes hac ductas ratione id facere accepi: sed tamen in descript. Belg. Regni Siamis & Pegu legimus, quod Sacerdotes Ethnici acriter & sæpe in vulgus hanc ob causam invehantur & dæmonolatriam hanc injustam esse proclamant. Præterea nautæ non raro decipiuntur, dum aspicientes statuas vel pictas Deorum in India existimant esse Dæmonum effigies. Indi enim, ut inquit Xaverius, Deum nigrum & pingunt & ita esse putant, quia ipsi nigri sunt.

Has nautæ & imperiti videntes opinantur Dæmonum esse statuas

tuas. Turfelinus in vita Xaver. p. 149. Ipsi (Brachmanes) ut pote naturá subnigri, suo indulgentes colori, nigrúmque Deum esse rati, Deorum simulacra identidem perungunt oleo, ut non atra modò, sed etiam tetra sint horrendáque. Dæmones ipsos, non eorum signa videre te credas.

Ad zelum eorum in religione illa quoque refeto, quæ p. 150. epist. Ind. leguntur. Hæc vetula beatitudinis gratiá, multa Japonis delubra, superstitionis peregrinationibus circumierat, habebatque papyraceam tunicam, quæ descriptam Amidæ vitam continebat, quam illi cum aliis diplomatibus & indulgentiis (Ecclesiasticos enim ritus dæmon effingit) Bonzii pretio ingenti venderant polliciti, si eo amictu, supremo die suo efferretur, omnibus noxis solutam recta ad beatas Amidæ sedes proculdubio proventuram.

Harum tunicarum etiam mentio fit in ultim. cap. libri primi, ubi funeris ritus proponuntur.

Religionum suarum originem ad Sinas referunt, atque Sinarum ingenia in omnibus excellentia admirantes fieri haud posse putant, ut Sinarum religio vera non sit. Id Xaver. p. 232, 262, 270 affirmat, nempe a Sinis tum alia multa, tum religiones quoque accepisse Japonios. Et in epist. Ind. p. 120. Villela ad Brachmanas refert dicens: Indicam Brachmanarum superstitionem ab Indico magistro ex regno Sionis acceptam huc usque retinent, quod ipsum ex delubris etiam apparet, quæ in oppido Indiæ Ceilano eadem videre memini quæ in Japone. Et pag. 205. dicitur, quod Xacæ libri in Sina quoque habeantur. Quod autem Xaverius pag. 232. & 237. ait, verisimile mihi vix sit, nec alii meminere: Japonum, ait, religiones, ut Paulus mihi tradidit, ex Cenico, quæ urbs est ultra Sinas atque Cathajum, à Japonia iter unius & dimidiati anni, adscitæ perhibentur.

Etenim in Sinarum regno universo, atque Cathajo, nulla alia vigere fertur disciplina præter eam, quæ in Cenicensi Academia longe celeberrima traditur.

Aliter Frojus p. 208. Eorum, inquit, librorum usus est maximus non in Japone modo, sed etiam in Sionis regionibus, unde omnis Japonica fabulositas & superstitiones primum extitisse, atque inde paulatim oram Sinarum, Pegusiam, Bengalanam, totúmque eum tractum in Bisnagam usque pervagatæ dicuntur.

## CAPUT

## CAPUT II.

*De Sacerdotibus Religionis Japonensis Bonziis, eorum fraudibus, & Congionibus, Cœnobiis.*

Diximus jam in primo libro, cum de eruditione & literarum studiis ageremus quod in Japonia iidem sint religionis antistites, qui Philosophiæ aliisque Scientiis operam impendunt, & quod vocentur Bonzii. De his ita loquitur Xaverius p. 237. Magnus est in his locis numerus tum virorum, tum foeminarum religiosam vivendi rationem profitentium, Bonzios & Bonzias appellant. Bonziorum duo sunt genera: alii cineraceo utuntur vestitu, alii nigro. Hos inter magnæ intercedunt similitudines, cineracei atratis infensi sunt vulgo, eosque inscitæ arguunt atque improbitatis. Bonziarum totidem sunt genera, partim cinerea partim atrá veste insignes: Bonziis parent, sui utræque generis & coloris. Bonziorum ac Bonziarum innumerabilis est in Japonia multitudo, ac planè incredibilis, nisi ei, qui ipse perspexerit.

Cognovi ex bonis autoribus, Regulum esse in his locis, in cuius ditone cœnobia sint Bonziorum ac Bonziarum facile octingenta capitum minimum tricenorum: innumerabilia autem esse, ubi quaterni, seni, octonique versentur.

Idem Xaverius p. 239, postquam de quinque summis Religionis capitibus, quæ priori capite attulimus, egisset, ita loquitur: Sed Bonzii & Bonziæ de suarum legum ratione verba facientes ad populum, ei persuaserunt, fieri non posse, ut profani homines urbanis negotiis implicati quinque illa præcepta fervent. Proinde præstare se velle, quicquid propter earum legum negligentiam mali atque incommodi illis accidere possit, sub ea conditione, ut populus domicilia, cœnobia, redditus annuos, pecuniasque ad usus ipsorum necessarias curet, & scilicet honorem eis & cultum tribuat. Hæc si populus faciat, ipsos quicquid legum sit, pro populo servaturos. Quocirca viri primarii atque opulenti, ut majori peccandi licentiâ fruerentur, Bonziis postulata omnia concesserunt. Ità Bonzii apud Japones magnam habent venerationem, vulgòque persuasum est omnibus, eorum deprecatione animos evocari ab inferis, quoniam hoc Bonzii susceperunt, ut pro populo de legibus illis satisfaciant. Hic Xaverius nimis liberaliter loquitur de Bonziorum jactantia. Nam ex illis, quæ priori capite ex eodem attulimus, manifestum est ipsos præcipuam salutis spem & fiduciam in primos Religionis autores relatos in

Deorum numerum reponere: Bonzios autem tantum ut Intercessores coli & bonis operibus Deorum gratiam conciliari, (quæ doctrina Pontificiæ valde est similis.) Hoc etiam verba, quæ in Xaverio sequuntur, confirmant hæc: Concionantur, inquit, Bonzii certis diebus. Concionum omnium caput est: Neminem e populo damnatum iri ad inferos, quamvis multa & deliquerit & delinquat. Sux quippe sectæ autorem eos si forte ad inferos relegarint e mediis suppliciis vindicaturum, præsertim vero, si Bonzii, qui pro his satisfecerunt, deprecatores accesserint. Et verò Bonzii ipsi vulgo de sua sanctitate, quod quinque illis legibus pareant, ad populum sanè magnificè prædicant. Idem autem negant pauperibus, quippe qui benigne Bonziis faciendi careant facultate, ullam relinqui spem ex inferis emergendi. In eadem causa foeminas esse dicitant, si quippe illa præcipua præcepta neglexerint. Singulas enim mulieres propter menstruorum foeditatem pluribus peccatis esse coopertas, quam viros universos. Proinde tam tetrum animal haud facile salvum esse posse. Hinc eò dilabuntur, ut dicant mulieribus quoque, si longè plura quam viri, in Bonzios contulerint, spem evadendi ex inferorum carcere ostendi. Illud etiam pro concione pronuntiant, eos, qui pecuniam Bonziis dederint in vita, post mortem decies tantum, quantum dederint, eodemque nummorum genere accepturos, ad usus videlicet illius vitæ necessarios. Nec desunt multi tum viri tum foeminae, qui magnam Bonziis vim nummorum ita credant, ut eam deinde decuplo cum foenore in immortalis illa vita exigant, quibus Bonzii sedulo scilicet cavent chirographo suo. Nec dubitat imperita multitudo de multiplici illo foenore pecunie creditæ. Bonziorum chirographa diligenter asservant, eaque moribundi secum sepeliri jubent: quippe eorum aspectu Diabolum fugari arbitrantur. Multas præterea fallacias intendunt Bonzii de quibus sine dolore commemorare non queo; miras conciliandæ pecuniæ vias norunt. Illud festivum, quod nummos elemosynæ nomine accipiunt ab omnibus, ipsi omnino dant nemini. Quantum istiusmodi hominibus tribuat, quantum honorem habeat multitudo, sine gemitu ac stomacho videre non possumus. Eadem ferme Frojus in epist. Ind. p. 190. habet.

Pag. 179. Illud me valde delectat, quod ex Paulo S. Fidei (de eo, qui primus Christianus fuit ex Japonensibus, dicitur suo loco) nostro comite accepi: In ejus patria (Cangoxima) cœnobium esse sanè frequens Bonziorum, qui certis meditationibus exerceantur. Quippe cœnobii Præses (is doctrinam cæteris præstat) domesticis omnibus unum in locum convocatis, ad eos quasi concionem habet: tum certam cuique per horam commentandi materiam proponit.

Exempli causâ: Cum extremo jam spiritu mors vocem intercludit,

cludit, si tum animæ ex corpore discedenti loquendi facultas detur, quibus tandem verbis in illo digressu corpus alloquatur suum? Itemque si quis existat ab inferis revocatus in vitam, quidnam cæteris videatur esse dicturus?

Exacto deinde meditandi spatio, rationem meditationis reponit à singulis: quem boni quippiam proferre videt, collaudat, quem secus objurgat. Eosdem Bonzios ait quintodecimo quoque die sermonem ad populum habere, frequenti sanè ac secunda concione. Namque inter dicendum atrocissimos inferorum cruciatus in tabula depictos ostentare, horrendaque illâ specie sanum cum populi universi, tum verò mulierum plangore ac lamentatione compleri. Hæc, ut dixi, Paulus mihi narravit, qui rogatus, eequam ex concionibus illis sententiam memoriâ teneret, hanc unam respondit; Improbum hominem esse Diabolo ipso capitaliorem, quod ille complura scelera, ut furtum, perjurium, & alia ejusdem modi per consceleratos viros ac foeminas committat, quæ per se ipse non posset.

De concionibus hisce Frojus ita loquitur in Epist. Ind. p. 198: *Et*, inquit, (conciones.) Si minus crebræ quam apud nos, certè quam apparatissimæ. In templo permagno cum ferica supernè umbella suggestus attollitur. In eo stat ornatu sumptuoso cathedra: ante cathedram mensa cum tintinnabulo & libro. Ubi concionis tempus advenerit, ad suum quæque doctorem in varia templa frequentes Japoniorum sectæ conveniunt. Ille suggestum ascendens, & in sella confidens, magnificè sese circumspicit: deinde indicto campanâ silentio, pauca ex eo quem diximus, recitat libro, quæ mox idem fusius explicat. Sunt autem hi concionatores viri fermè disertis, atque ad flectendos animos auditorum idonei. Et quoniam hiat semper avaritia Bonziorum, eò potissimum omnis spectat eorum oratio, ut populum inducant specie pietatis ad sua locupletanda cœnobia, tanto beatiorum in altera vita fore quemque affirmantes, quanto quæ ad sacra vel exequias pertinent, majore pompâ & impensâ curarint.

Idem Frojus p. 209. ita: Postero (die) ad audiendas Bonziorum conciones in suburbana cœnobia venimus.

Egressi, turbam virorum æquè ac foeminarum cum suo quemque rosario supplicantes aspicimus. Percontati à neophytis, quidnam id esset, dimissam tum concionem esse respondent: Interrogati de numero, aiunt, capitum esse quinque circiter millia. Addunt insuper, in eo templo quotannis centum diebus continuis ab uno eodemque Bonzio conciones haberi, multis magnificè indulgentiis auditori perseveranti propositis. Optatum erat nobis omnino, aliquem ex iis concionatoribus audire, cognoscendi maxime studio, salvæque religione & officio transferendi ad usum nostrum, quæ ad conciliandos, permovendosque Japonio-



rum animos pertinere viderentur. Et quoniam allatum est, rem adhuc integram esse in alio quodam Cœnobio, pergere porro illuc usque decrevimus. Eo tendentibus igitur nobis primo Guivani phanum occurrit, quod ingenti frequentia, superstitione, anniversariis mimorum ludis variisque spectaculis magnopere celebratur & colitur. Indè exeuntes viam ingredimur pinis utrinque jucundâ admodum specie consitam: simul adspicimus populi concursum, ad concionem citato gressu tendentis.

Nos ut ad locum pervenimus, moniti à Christianis periculum esse, nè Bonzii si nos adesse sentirent, concionari desisterent, occulto loco ad initium usque concionis non sine magna quidem vel admiratione vel pudore substitimus è conscientia temporis ac negligentia nostræ concepto, cum interim unius horæ spatio auditores illi omnes ad parvi pulsus tintinnabuli, nixi genibus, incredibili quadam significatione pietatis, rosaria manusque tollentes in cœlum, in oratione persisterent, vociferantes assidue: *Namu Amida Ambur*, hoc est, Da salutem Amida: imperato deinde majore campanâ silentio, ut concionator suggestum ascendit, tum nos quoque sensim irrepsimus. Phanum erat ad fores usque ac porticus refertum viris ac foeminis. In ipsis autem aræ gradibus multi Bonzii confidebant, manibus intra togam abditis, oculisque demissis.

Porro concionator claro, ut aiebant, genere, decorâ quidem in primis facie, aspectuque gratissimo, in excelsa unde ab omnibus conspici posset, cathedra sedens, sericis ad talos usque perquam splendidè vestimentis indutus, interiore candido, exteriore purpureo, flabellum tenens aureum, ex libro quem habebat in mensa propositum, quædam institit subinde recitare, tum fufus explicare, tantâ non solum actionis venustate, sed etiam (ut Gaspar Vilela affirmabat ejus linguæ benè peritus & cæteri, qui nobiscum aderant) orationis elegantia atque artificio, ut mirum videri non debeat, ejusmodi homines tanto in honore ac veneratione esse apud Veritatis ignaros.

Bonzias quoque, moniales scilicet, verba facere ad populum, solus meminit Xaverius p. 239.

Idem p. 192. Bonziorum secta quædam est, cultu corporis haud absimilis sane cœnobitis nostratibus, vestitu cinerei coloris: barba & capite semper raso, ut tertio aut quarto quoque die radi videntur. Mulierum ejusdem sectæ coetus sunt, quibuscum illi promiscue vivunt.

Itaque apud populum, qui tantam eorum cum mulieribus consuetudinem non probet, vulgo malè audiunt.

Fama est, eas ubi se gravidas sentiant, partum medicamentis abigere. Porro hi Bonzii odio quodam dissident ab iis, qui nostratum fere Clericorum ornatum usurpant Pag. 250. Huc accedit, quod

quod alunt in cœnobiis suis Bonzii foeminas complures, quas colorum suorum uxores esse dicunt.

Ea res in offensionem occurrit multitudinis, tantam Bonziorum cum mulieribus consuetudinem suspectam habentis. Bonziæ quoque omnibus horis à Bonziis adeuntur officii causa, eosque vicissim adeunt. At populus id malam in partem interpretatur: ferant herbam esse, quam Bonziæ esitent, nè gravidæ fiant. Interim zelum Bonziarum nonnullarum colligere licet ex Froji verbis p. 249. hisce: In unum templum sese trepidâ fugâ abderant Bonziæ mulieres ad sexaginta ex iis, quæ stipi cogendæ ad instaurationem fani Daibud in regno Thematis religionis causa dabant operam.

Frojus in epist. p. 190. ita: Complura visuntur cœnobicia non modo Bonziorum, sed Bonziarum etiam vario corporis habitu: quippe alii internis tunicis albis, extimis nigris utuntur, alios cineraceus distinguit color, quorum idolum est nomine Denichi: ab iis Amidani magnopere dissident.

Bonzii porro ferè omnes magnificè habitant, habentque per ampla vectigalia. Iisdem coelibatus indicitur: nuptias contraxisse capitale est. Ingentes habent bibliothecas, cœnationes ad cibum unâ sumendum, æramenta, seu tintinnabula, quibus ad preces horarias excitantur. Vespere præfectus certum unicuique argumentum ad meditando proponit. A media nocte ante aram templi, alternantibus choris quasi matutinas recitant preces è Xacæ libro novissimo. Primâ luce horam unam meditando singuli consumunt. Non desunt alio nomine *Genguk*, qui res item furto surreptas, furesque ipsos per divinationem demontrent.

Hi in præcelso montis jugo sibi domicilium collocarunt, oris atro colore ob assiduam solis, pluviam, venti, geluque patientiam: uxores ducunt, sed non nisi ex suo genere.

Sacerdotes quoque sectæ Ickois ducere uxores Caronius testatur, atque illos carne & pisce vesci; cum reliquarum sectarum Bonzii illis omnino abstineant, quod ita unum è quinque præceptis jubeat.

Xaverius p. 249. Antiquitus quidem Bonzii ac Bonziæ, qui unam aliquam è quinque illis legibus neglexissent, à Regulis ac Dominis oppidorum, ubi versarentur, morte scilicet, multabantur, sive quis eorum flagitium, furtum, mendacium admisisset, sive hominem aliudve animal occidisset, aut comedisset, sive bibisset vinum convinceretur. Nunc verò relaxata planè est disciplina, atque corrupta. Nam plerique potant vinum, carne vescuntur clanculum, mendaciis student, mœchantur palam, &c.

Caronius tamen poenam sacerdotum, si transgrediantur præcepta, ita describit: Duodecim sectæ sunt, inquit, earum undecim qui

qui præfunt sacerdotes nihil comedunt eorum, quæ vitam ali- quando accepere, neque illis cum muliere conversari licet. Si itaque aliquando Bonzius quidam in hisce peccet, re ad Magi- stratum delatâ, defoditur in terram ad viam aliquam umbilico- zenus: unusquisque autem viâ istâ iter faciens (exceptis no- bilibus) tenentur defossi Bonzii collum lignea ferrâ ferire; hosce ictus multoties repetitos tertio vel quarto demum die mors con- sequitur.

Causarum autem, ob quas Bonzii sint in tanto honore prima est ea, quam jam in præcedentibus attigimus, nimirum, quod Deos propitios reddant populo, sicut quoque Xaverius p. 252. testatur his verbis: Dynasta hujus regni (Amanguciani) primarius, unâ cum uxore foemina lectissima, nos complexus est, sic, ut am- borum studia nobis ad divinæ religionis propagationem nunquam defugerint.

Verum neuter, ut religionem, quamvis exploratam fusciperet, adduci potuit, idque idcirco quod multa Bonziorum cœnobia suo sumptu ædificarent, vectigalibusque instruxerant, quò Amidam, quem superstitiosè colunt, orarent assidue, ut eos ab hujus vitæ calamitatibus atque incommodis prohiberet, atque ad eam, quâ ipse perfruitur, felicitatem aliquando traduceret. Hi causas, cur Christiani non fierent, plurimas afferebant, illam potissimum, quod dicerent, egregios se Xacæ & Amidæ semper cultores extitisse, eorumque causa & plurima largitos esse Bonziis, & sedes ac domicilia excitasse: si jam ad Christum se transferrent, gratiam tot anorum officiis collectam, omnemque superioris vitæ fructum utique perdituros. Pro certo habent, se, quicquid pecuniæ Xacæ & Amidæ nomine Bonziis dederint, post mortem cum maximo fœnore recepturos, ac præterea cultûs, pietatisque suæ fructum amplissimum, quæ scilicet nē amitterent, ad Christum transire noluerunt.

Secundam honoris Bonziorum causam idem Xaverius p. 211. affert, ita loquens: Causa cur in tanto honore habeantur, singu- laris quædam ciborum abstinentia videtur esse. Quippe suis le- gibus carne, pisce, vino prorsus abstinent: oleribus tantum, po- mis, oryzâ vivunt, sic ut semel tantum duntaxat in die cibum capiant. Bonzii plurimi sunt, eorumque cœnobia parum à ve- ctigalibus instructa. Verum propter eximiam illam frugalitatem, & simul quod ii præsertim, qui Clericorum utuntur ornatu, à mulierum consuetudine (capitalis enim ea noxa est) longè refu- giunt, & historias quasdam, aut fabulas potius suarum religio- num diligenter exponunt, magnam apud Japonios venerationem habent.

Tertia causa eaque præcipua à Frojo p. 190. Epist. Ind. in- nuitur, dum ait: Bonzii claro, ut plurimum, sunt genere: nam- que

que Japonii proceres multiplici prole onerati, quibus filiis amplum satis patrimonium relinquere se posse dissidunt, hos fere ad Bon- ziorum numerum aggregant. Atque hinc fit ut Regum fi- lios atque filias facer hic ordo contineat, ut passim in episto- lis legitur.

Quibusdam cœnobiis & templis assignati sunt annui redditus à Cæsare vel Domino ejus loci, quo sunt: reliqui à populo alun- tur, & quemadmodum in Christianis locis plurimis quilibet è po- pulo suum observat confessionarium, illique munera largitur: ita in Japonia quoque incolæ singuli, prout in re lauta vel te- nui sunt, certis tantum Clericis atque templis, quantum ad vitæ sustentationem requiritur, suppeditant, ut Caronius testatur. Un- de Xaverius pag. 249. ita ait: Amangucii, Bonziorum atque Bonziarum autoritas valde indies obteritur. Affirmant mihi Christiani, ex centum Bonziorum Bonziarumque cœnobiis quæ erant Amangucii, complura civium elemosynis destituta, brevi esse interitura. Ex funeribus quoque divitum & sepulturis ad Bonzios, qui ea procurant, largum redundare emolumentum in præcedentis libri capite ultimo dictum est, & in epist. p. 108, Almeida hæc ponit; Duos Bonzios illos perquam studiosè Christo nomina profitentes in discessu meo in aliud tempus idcirco rejeci, quod à curandis Japonico ritu Regis procerumque funeribus, nullâ ratione se posse desistere dicerent, eaque re Christiana fa- cra, quæ ipsi apud se taciti colerent, minime pollutum iri ar- bitrarentur. Magnum esse cœnobiolorum numerum ex eo colligere est, quod in unâ urbe Amangucio centum fuerint: sed multo magis ex eis, quæ de cœnobiolorum ad montem Frenojamam sito- rum multitudine Frojus p. 244. habet: Frenojama, inquit, ex- celsus inprimis est mons, novem circiter millibus passuum ab urbe Meaco situs ad Orientem. In eo monte Rex quidam Ja- ponis, patriæ superstitioni apprime deditus, ante annos octingen- tos templa construxit ad tria millia & octingenta, ædibus ad- junctis duntaxat, in usum Bonziorum, qui legum ac disciplina- rum in studio versarentur: quod ut sine ulla interpellatione quam commodissimè facerent, non modò turbas ac strepitus omnes a- gricolarum indè removit: sed etiam vicos duos, unde omnia necessaria petèrent, ad montis radices ædificavit, superum infe- rumque Sacomotum (id locis nomen) iidemque Bonziis insuper, tertiam ferè partem vectigalium regni Vomensis attribuit. Quod opus ab illo Rege fundatum, posterio eò impensius adjuverunt, quod universæ Academiæ summo cum imperio præponi solitus est aliquis vel ex filiis regis, vel quam arctissima certè cum rege affinitate conjunctus. Itaque in tantam amplitudinem excreve- rat olim Academia, tantumque illi honoris & auctoritatis ac- cesserat, non solum ut Meacensis omnis jurisdictio illorum ho- minum

minum arbitrio regeretur, sed etiam ut omnes fermè Japonicarum superstitionum interpretes, ducésque sectarum inde tanquam ex perenni fonte vel seminario quodam existerent: sed imminutà paulatim regiâ potestate, rebusque (ut fit) bellorum injuriâ ac vetustate labentibus, ingens ille templorum numerus, quæ sexdecim dispersa convallibus antea visebantur, ad octingenta vel paulò amplius rediit.

Ac simul Bonziorum illa qualiscunque disciplina sensim ita soluta est, ut omni abjecto pudore sese turpissimis voluptatibus, flagitiisque dederint, atque ad armorum usum ac latrocinia studio doctrinæ religionisque converso, cum alia multa per vim nefasque patrârint tum verò annis abhinc septem & triginta Meaco in quo Bonziorum cœnobia quinquaginta miræ amplitudinis, à regum & principum liberis, qui sacris addicti sunt, magnificè & sumptuosè incoluntur, facitque ipsa vicinitas, ut eorum præfecti se invicem elegantiam munditiisque superare contendant. Villela p. 92. In monte suburbano Meaci fuisse quondam aiunt cœnobiorum septem millia, quamvis nunc minus multa cernantur: quorum est unum inprimis opulentum & confluenti omnium ordinum multitudine usque adeò celebre, ut Reges bella gesturi ingentem auri vim ei delubro voveant, & victoriâ partâ persolvant: tum infima quoque plebs in suis difficultatibus atque periculis eodem auxilii causa confugiat. Singulis cœnobiis unus Antistes præfectus est, qui appellatur Nixir, hoc est, Japoniorum lingua, Cor Veritatis, ut Xaverius ait. Sed & singuli ordine, Bonziorum seu sectæ singulos habent Generales Episcopos. Ità enim Villela p. 93. ep. Ind. refert: Sectæ, quam Icoxos vocant, Bonzius semper cum imperio præsidet, stupris flagitiisque palam turpiter deditus: quem plebs nihilominus tantâ pietate ac veneratione prosequitur, ut eum si modò aspexerit, vim lacrymarum profundat, solvique se admissis noxis ab eo suppliciter petat. Eidem tantum pecuniæ deferunt (in altera vita cum decuplo fœnore reddendam) ut magnam Japonicarum divitiarum partem unus obtineat. Caronius quoque tradit, sectæ Ickois appellatæ Pontificem non tantum regalibus honoribus affici sed etiam ab illis, qui huic sectæ sunt addicti, adorari, & cum se extra ædes profert, in lectica gestari. Hagenus addit, quod omnes Episcopi & Antistites subjecti sint Dairo, (de quo in præced. libr. cap. abundè diximus) atque hunc tantâ esse autoritate, quantâ Pontifex Maximus apud Pontificios. Porro sine permissione Episcoporum in singulis provinciis aut locis nullas religiones induci licitum esse, Laurentius Japonius p. 60. epist. Indic. testatur. Ex Bonziorum quoque ordine Con-

liarios

liarios à Proceribus desumi, Almeida p. 105. indicat dicens: Erat in eo ordine (Bonziorum) vir quidam insignis, magnâ etiam ante id sacerdotium exultatione, tum verò & Regis ipsius consiliarius, & amplis tribus cœnobiis summâ cum potestate præpositus.

Neque concedunt Bonzii Principibus & proceribus politicis ullum iudicium in rebus divinis. Etenim cum aliquando Rex Bungenis Xaverium domo suâ exciperet & Japonicam religionem incertitudinis argueret, Bonzius quidam, qui astabat Regi, indignationem suam non dissimulavit. Ità enim Turfellinus in vita Xaverii p. 342: Hac Regis oratione motus Bonzius nobilis, qui forte aderat (Faciandono erat nomen) Regi fidenter sanè libereque respondit: Religionis causam non esse ejusmodi, de qua ipse statuere posset, doctrinæ interioris ignarus. Proinde si quid ejus ambigam angeret mentem, præsto esse quem consuleret. Profectò se perfecturum, non modò ut scrupulum illi eximeret, sed etiam ut id ipsum, de quo ambigeret, Solis luce clariùs foret. Ex quo omnes liquidò iudicaturos, & vera esse, quæ docerent Bonzii, & rectè poni apud eos pretia doctrinæ. Tum Rex subridens, Agedum, inquit, Doctor unice, recondita ista ac retrusa vestræ religionis mysteria aliquando enuntia: nos taciti audiemus. Et Faciandonus magnificè se circumspiciens, Principio, inquit, de Bonziorum sanctimonia ambigi nefas est. Satis constat inter omnes, sanctam ab iis, gratamque & acceptam Superis agi vitam. Quippe cum castitatem colant, recenti pisce abstineant, teneram erudiant ætatem, moribundis collybistica chirographa tradant pecuniæ in cœlo exigendæ, de nocte surgant ad Deos populo propitiandos, & super hæc omnia familiares sint Solis, Astrorum, Deorumque cœlestium, quibuscum nocturnos sæpe sermones, sæpe etiam complexus jucundissimè misceant. Hæc & alia ejusmodi deliramenta præfatus, stimulante inflatum & impotentem animum irâ, intemperantius invehi in regem cœpit. Itaque is bis terve germano suo significavit, ut silentium imponeret Bonzio. Quo tacere jussu, Rex Faciandonum intuens, se verò satis magnum ex ipso specimen cepisse ait Bonzianæ sanctitatis: simul illud confiteri, se illius licentiâ ac temeritate linguæ ita esse affectum, liquidò ut jurare auderet, plus in Faciandonum juris inferos habere, quam Faciandonum in Superos.

Hic Bonzius ad pristinam violentiam intoleranda quoque superbiâ adjectâ, proclamare: Tempus fore, cum Faciandonus mortales omnes infra se positos despiceret, sic prorsus, ut nec Bungi Rex, nec quisquam omnino Regum ad ejus sedem aspirare sustineret. Ad hæc Stomachari Rex, &c. Bonzius exclamat: Regem talia in Deorum Antistites ausum cœlestis ignis

ignis absumat. Et simul exæstuans fremensque ex aula se repente proripit.

De Bonziis, qui Divum Combendaxem colunt, Frojus in epist. p. 193. ita fatur: Ejus (Combendaxis) cultui qui sese mancipant, intra ea cœnobîa, quasi claustra concluduntur, capillo in speciem abdicatæ vitæ secularis abrafo, cum tamen ibi deinde, prout eos egit libido, in omni flagitiorum genere volentur. In illis ædibus, quæ permultæ sunt, præter magnam laicorum turbam, Bonziorum sex circiter millia numerantur. Mulieribus aditus eo non est, capitali, si accellerint, poenâ propositâ. Fatonochaiti præterea domicilium est Bonziorum. Hi magnam puerorum turbam variis artibus ad omne doli furtique genus erudiunt. Si quos eximiâ nacti sunt indole, hos de regum singulorum edoctos profapia ac stirpe, & Brocerum ritibus, armorum etiam usu, dicendisque arte exercitatos, regio ornata in alias provincias dimittunt, eo consilio, ut sese regum filios ementiti, per commendationem speciémque nobilitatis conciliata mutui nomine pecuniâ, bene nummati ad se revertantur. Itaque locus is tantâ est apud Japonios infamiâ, ut si quem ex ea disciplina fortè deprehenderint, confestim interimant: nec tamen impostores idcirco ab improbitate malitiâque discedunt. Bonzios hosce, de quibus Frojus hic loquitur, opinor esse eos, qui Neugori Bonzii appellantur, de quibus Villela pag. 115. hæc habet: Cacubau Bonziorum eam instituit formam, qui Neugori nominantur, quorum alii precibus vacant, alii militiæ, alii quinis quotidie singuli perficiendis sagittis. Arma verò semper habent parata, principemque familiæ suæ Cacubau in Deorum numero venerantur. Rectorem, cui pareant, habent nullum. Viribus namque certantur, & quanquam in consiliis, qui ætate præeunt, priores sententiam rogantur, suffragiorum tamen jura usque adeo promiscua sunt, ut quod reliqui omnes communi sententia decreverint, unus modò si intercesserit, prorsus impediatur. Itaque ad unam eandemque deliberationem toties convenitur, quoad planè dissentiat nemo: Idem Frojus eadem epistolâ, ubi de bello & obsidione Meacensi anni MDLXI. loquitur, hæc narrat: Cognitâ urbis obsidione, patruus Regis confestim ei cum exercitu in subsidium venit: huic obviam iere ex altera parte Neugori Bonzii, qui hominum ordo quandam militiæ Rhodiæ speciem refert. Castris igitur Meacum inter & Sacajum locatis, crebra prælia committebantur, ita tamen ut res Bonziorum semper esset superior: denique vigesimo die, cum ad universam dimicationem ventum esset, Regis patruus victus, quoddam in castrum confugit. Rex autem Meaci, ejus rei nuntio audito, se in arcem recepit, urbe (Meaco) deserta, quæ ab hostibus capta (Bonziis,) rapinis incendiisque vastata est. Idem secuti victoriam, signis ad castrum,

de quo diximus, motis, patruum Regis, ejusque copias omnino delere paraverant: cum Rex Meaci exercitu viginti millium hominum quam occultissimè instructo, & ingenti flumine superato, hostes nec opinantes tanto impetu oppressit, ut cum essent ad hominum triginta millia, fusi fugatique sint, quos Rex deinde conjunctis cum patruo viribus fugientes Meacum usque infecutus, tantâ ipsorum cæde urbem recepit, ut multos in annos ea victoria debellatum esse existimetur. Sic itaque Bonziis hoc bellum successit: sed majori longè clade res eorum affectæ sunt à Nubunanga, qui circa annum sexagesimum usque ad septuagesimum quintum seculi decimifexti post natum Christum potentissimus Regum fuit, cum Bonzii illius adversas partes secuti essent, ipse verò omnes religiones contemneret. De hoc Frojus p. 245. ita: Contigit anno superiore, ut gravi bello inter Nechienis Regem & Nubunangam exorto, illius copias Bonzii tecto & comœaribus juverint: Nubunangam verò præter cæteras injurias etiam transitu prohibuerint. Quâ re ille majorem in modum offensus, fremensque, pactis cum hoste induciis, in regnum Voaris rediit: ac primum Bonzios ejus regionis Icoxos (qui dicuntur) castellis omnibus exuit, & quotquot vivos vel ex ipsis, vel etiam ex eorum popularibus capere potuit, omnes cruci suffixit: deinde aucto exercitu, victoricia signa repente ad Frenojamam ira stimulante convertit. Tum primum temerarios Academicos & omnia sibi secunda pollicitos verus belli terror invasit, poenituitque læcessiti Nubunangæ, cumque se viribus longè inferiores cernebant, missis legatis, magno primum auri pondere, deinde loci religione, metûque Numinum placare conati sunt Regem, quibus ille cum respondisset; nec se pecuniæ cupidum, sed vindicem scelerum & ultorem injuriarum adesse, nec inanium Deorum ulla terreri formidine.

Tum illi, ut in re trepida, contra hostium impetus omni ratione se comparant. Erat in ipso montis vertice templum Quanonni dicatum, quem Deum vel Dæmonem potius miro cultu veneratur toto Japone cæca gentilitas, plurimique mortales votiva peregrinatione susceptâ eodem assidue confluebant, quod persuasum haberent, ab illo, &c. In illud montis cacumen & Bonzii & e proximis pagis promiscua turba sese recipiunt, stationibusque dispositis, hostem ex eo loco prohibere constituunt. At Nubunanga Sacomoro & Catara vicis cum incolarum internecione incensis eversisque, montem ipsum Frenojamam, nè quis è numero Bonziorum elaberetur, coronâ circumdedit: deinde instructum exercitum in eos adverso clivo submitit: restitère aliquandiu è superiore loco Bonzii: urgente dein multitudine hostium, effractisque claustris & superatâ munitione, trucidati ferè omnes ac simul, injectis maximo ac nobilissimo templo facibus, ea tota moles

moles horribili prorsus incendio tota conflagravit, atque id ipso die festo Michaelis Archangeli tertio Calend. Octobr. Postridie vero Nubunanga circummisso milite, latitantes ferarum instar Bonzios, qui praelio superfuerant, protractos è dumetis aut specubus interemit. Sub hæc domus eorum direpta, fana plus cō cum omni sacrorum instrumento pariter concremata: ingens omnibus circa nationibus terror incussus. Paulo post Frojus subjungit hæc: Germani duo fratres erant in urbe Meaco, tum genere tum divitiis clari, iidemque Xacæ cultores egregii. Natu major, nomine Taquenus Vehisa Midonus, Evangelii progressum & collabentem Deorum suorum existimationem incredibili quodam animi dolore cum cerneret, fretus cum suis opibus tum gratiâ principum, novam Xacæ sectam condere aggressus est, jamque repudiata conjuge, mentoque & capite raso, Bonziorum habitum & cultum induerat, cum ad illum adjungere se dæmonis instinctu cœpere complures: quibus ille magno sumptu amplum cœnobium exstruebat (numerus enim discipulorum ad cō ascenderat) concionibusque; pœnè quotidianis populum contra Christiana sacra legesque miris artibus incitabat, sed cum illum tantis debita sceleribus ultio divina maneret, accidit aliquando, ut intemperantia linguæ proventus præfente Cubo Nubunangam Regem dictis amaris haud obscure perstringeret, affirmans illum jam ad summum potentæ culmen evectum, diutius in eo fastigio stare non posse, quin rueret, vel certè quasi matura vel potius vieta ex arbore bacca decideret. Quibus temerè jactis, non defuere confestim, qui ad Nubunangam cuncta deferrent: quibus ille auditis, universo Bonziorum generi multis jam ante nominibus infensus adeò excanduit, ut in regnum suum Voaris Meaco decedens, comprehensum novum hæresiarcham & equo impositum, quamvis magnopere deprecante Cubo aliisque proceribus, quindecim à Meaco leucis in ipso itinere securi percussit: ad hæc, liberi, everfis & solo æquatis domibus eorum, & cœnobio nuper ædificari cœpto, in exilium acti sunt. Idem Frojus p. 257. in epistola scripta anno M. D. LXXIII. de eodem Nubunanga hæc habet: Præter Frenojamensem, quam ille Rex funditus evertit, aliæ sunt etiam Bonziorum Academiae. In iis & longâ sexcentorum annorum pace, & variis opibus ad omnes deliciarum usus eò congestis, in primis clara celebrisque fuit ea, quam patrio nomine Facufangin appellant. Multa visabantur ibi cœnobia Bonziorum, & separatæ præterea ipsorum ædes numero mille quam ornatissimæ, commodissimæque. In hcrum quoque Bonziorum perniciem intentus jam diu Nubunanga, sustinebat tamen se, dum aliqua se offerret causa probabilis. Ea ut apparuit, quippe præda, quam è regno Voaris quidam ex hostibus ejus abegerat, apud hosce Bonzios deposita & custodita. Enimvero

vero ille nihil cunctandum ratus, post factas cum Cubo inducias confestim cum exercitu venit illuc, multisque incensis ædificiis & cunctâ illâ Bonziorum gaza direpta, egregiè suas injurias ultus est. Ac vide quam non dissimulanter factis dictisque Japonicæ superstitioni, ejusdemque custodibus bellum indixerit.

Xinguen est Rex Cainochuni, qui patre in exilium pulso per vim, fratre autem natu maximo in custodiam incluso, regnum invasit, infano Deorum cultui usque adeò addictus, ut post aditam regni possessionem, barba & capillo posito, se in Bonziorum ordinem adscribi voluerit, nec solum eo habitu & stola ornatus incedit, sed etiam ter quotidie sacris operatur, sexcentos ad eam rem secum trahens Bonzios. Is per causam instaurandæ Frenojamæ, & diruta Quanonis templa reficiendi coacto exercitu, & aliquot locis dolo magis ac fraude, quam vi aperta occupatis, antistitem se & assertorem profitetur avitæ religionis: & sibi jactat esse propositum, in ea tuenda colendaque vincere Xacam ipsum, fama sanctimonix celeberrimum. Idem cum ante aliquot menses dedisset ad Nubunangam literas cum arroganti inscriptione: Tandaino Taxu, Xamon, Xinguen, hoc est, summus in domicilio Regum, religionumque Xinguen; vicissim illi respondit hic alter cum horrendo planè sui nominis titulo: Dainoquu, tenomavon, Nubunanga; id est, Nubunanga domitor dæmonum, hostis oppugnatoreque sectarum.

Nec sanè falso: pergit enim diabolicos hosce ritus & nefaria sacra & omnia, quibus Japonii mirum in modum ducuntur, & sacrificulos omnes non modò palam irridere atque contemnere, sed etiam detestari & omni conatu delere, ut non immeritò ab hisce neophytis flagellum divinæ justitiæ nominetur: nec defunt, qui eundem, (licet nondum id apertè præferebat) intimis tamen sensibus esse Christianum existiment. Hactenus Frojus. Cæterum de Nubunanga magis optanda quam vera fuit opinio quorundam. Neque enim talia in Bonzios machinatus est, Christianæ rei studio, sed execrabili quodam omnium religionum ac superstitionum odio, ut Maffeus ait sequentium temporum edoctus historiis. Unde etiam non multo post illum furorem tempore à conjuratis est interemptus, liberi ejusdem aut pulsi, aut occisi. Ab ista tamen clade Bonzii pristinam dignitatem & divitias hæctenus non recuperavere, præsertim cum Religionis Christianæ Introductio non minus quam Nubunangæ tyrannis illorum vires labefactaverit, ut in sequentibus dicetur.

M

CAPUT

## CAPUT III.

*De Templorum Structura.*

Quæ de sacris Ædibus Japonensium apud autores reperti, ea in peculiare capitulum conicere volui, ut uno ordine legi possent & cum Europæis ædificiis conferri. De phanis in urbe Nara (diei unius itinere à Meaco distante) ita loquitur Almeida in epist. Ind. p. 178. Nobilissima phana sunt etiam, quorum unum, Cobucui nomine, post concionem ad neophytos habitam adivimus. Ejus propylæa triplici constant atrio cum totidem peristylis. In primo aditu egregii sunt operis lapideæ scalæ, quibus in summis ad postes januæ, Colossi duo præclarè facti cernuntur, clavæ quasi custodiæ causa tenentes. Post tertium denique peristylium, templi sese facies aperit. In id gradibus item lapideis artificiosè factis ascensus est. Valvas colossæi leones duo custodiunt. In medio templo, Sedentium habitu, septenarium cubitorum tria signa sunt posita, Xacæ & filiorum, latera ipsius cingentium. Pavimentum omne est è quadrato lapide. Sed miraculo præcipuè sunt columnæ septuaginta cedrinæ diametro & altitudine planè visenda, quarum singulas Caxarum decies, hoc est, aureorum quinque circiter millibus constitisse, codices & rationes, templi testantur. Eas cum reliquis parietibus valde jucunda miniati operis pictura vestit. Tectum eo, quo dicebamus, tegulæ genere affabrè & variè laqueatum, ad ulnas quatuor porrigitur extra parietes, mirum ut videatur, tantæ molis procurrens pondus sustineri ac suspendi posse. Ad templi latus coenatio Bonziorum sanè magnifica, & eadem, quæ templum ipsum, structurâ atque operis firmitate, ulnas in longitudinem quadraginta, duodecim in latitudinem extenditur. Dormitoria porro cubicula in duos divisa ordines centum & octoginta numerantur. Multi præterea & perampli sunt Oeci, quorum unius pensilis, columnis quatuor & viginti, ulnæ unius & dimidiatæ ambitu superimpositus, bibliothecam continet Bonziorum, tanta quidem librorum copia, ut vel fenestras ipsas obstruere propemodum videantur. Balnea præterea & cellæ in usus domesticos & promptuaria visuntur artificiosissimè elaborata. Jam verò culinæ quanta mundities, quod id Japoniorum omnium commune est, nihil attinet dicere. Ahena quibus aqua ad potandum calefit (frigidam enim neque hyeme neque æstate bibunt) ulnæ altitudine, duorum digitorum crassitudine, oris ambitu ulnarum trium, stant ex ære purissimo: culinam rivus præterfluit. Totâ nocte, ut in magnis ædibus (conclavia numerantur minimum qua-

tuor

tur & viginti) laternæ collucent. Ab hujus templi ædificatione sexcentessimus jam annus est. Stagnum habet ante se ulnarum in omnem partem circiter quinquaginta, plenissimum piscium, gravi poena propositâ, si quis eos attigerit. Inde ad Casungæ delubrum accessimus dicatum idolo, à quo divitias, honorem, vitæ diuturnitatem, & quicquid in hoc seculo est optabile promissum sibi cultores inani spe delusi, miserandum in modum expectant. Itaque magna in veneratione & honore apud Japonios est. Ad euntibus pratum occurrit primum, adpectu grato, herbâ non ultra dimidium palmum excrecente. Ut propius ventum est, duplex apparuit ordo pilarum è lapide quadrato cum basibus, laternâ superimpositâ ligneâ nigricante cum emblematis ex aurichalco inauratis, cœlatisque magnificè, & lapideo tegmine turbinato ad flatus arcendos ac pluvias. Aliæ erant laternæ è solido metallo, item auro coopertæ, opere admodum sumptuoso. Ex utraque parte stant quinquagenæ, quarum singulæ omnibus ardent noctibus. Media autem pila nomen ostendit aureis literis incisum ejus, qui delubro laternam quamque dicaverit, annua pecunia in usum perpetui luminis attributa. Tum ingens domus Bonziorum exurgit nobilium sceminarum, quæ annum egressæ quintum & quadragesimum, sese delubri ministerio manciparunt. Student cultui corporis, ornatu serico, & maximè peregrinorum ex toto Japone religionis causa assiduè confluentium, levandæ sibi dant operam (in paranda Tsia, ut opinor.) Ex hac Bonziorum domo, porticus admodum pulchra ad usque adyta pertinet phani, quo nemini patet ingressus, nisi qui ipsius loci antistites sunt, quorum vidimus aliquot intra sedentes togis amplis è serico indutos tectisque capita pileis plus dodrantem altis. In eam autem porticum nummi jactantur à populo. Aliud est in eadem sylva delubrum, quod Fachimanum appellant, simile cæteris, nisi quod laternarum est etiam pretiosior cœlatura, & auri major copia. Circa est atrium candido & nigro stratum lapillo, modicis constitum malis, ordine certo dispositis, magnitudine pari, in singulis intervallis vase lapideo collocato, quod frutera continet, altitudine haud supra binos quadrantes, jucunda rosarum & florum varietate commista. Inde, quod redeuntibus domum, minus erat devium, phanum invisimus aliud extra nemora positum, consecratum idolo Daibur, quæ vox magnæ sanctitatis denotat virum. Hujus phani frons januas habet tres, sed unam præcipuam: atrii verò latera singulas, altitudinis atque amplitudinis omnes miræ. Patet autem atrium id quadrata forma ulnas omnino sexaginta, quoniam ejusmodi est apud Japonios ædificiorum & publicè & privatim ratio, ut quanta cujusque mensura sit, primo statim intuitu intelligas. In ejus atrii medio est phanum ulnas longum quadraginta, triginta latum. Scalæ & pa-

M 2

yimenta

vimenta ex ingenti quadrato lapide: ubi portam intraveris maximam, duo sese ostentant colossi, majoris etiam formæ, quam quos antea diximus. Duo præterea stant janitores ad latera, truci admodum aspectu, ulnarum quatuordecim altitudinis, instar turrium, membris inter se præclare convenientibus, alter Tamondea dicitur, alter Besamondes, quorum singulos uni cælo præesse vulgus opinatur, calcantque pede singuli dæmonem. In medio autem templo tria sedent signa: Canon & Xixi, parentem Xacam interlocant. Xacæ statua ex ære cyprio in ampla & pulchra quiescens rosa, quatuordecim ulnas latitudinis obtinet: reliquæ duæ novenas, lignæ, sed omnes auro affabrè admodum intectæ, radiis tanta claritate micantibus, ut intuentis aciem poenè perstringant. Post hæc alia duo simulacra cernuntur, Homocondis & Zojolis (quibus etiam cælorum præfectura vulgò tribuitur) superioribus omnino similia. Porro ex utraque templi parte pulpitem cernitur. Ea est quadriformis mansio, parietibus duarum ulnarum altitudine. Interius alia est ejusdem formæ domuncula, in ejus medio stat cathedra eximie majestatis. Totum verò suggestum parva ambit operis egregii porticus, trium dodrantium latitudine. Jam verò lacunaria templi columnæ cedri næ sustinent octo & nonaginta, miræ altitudinis, æqualiter teretes, ambitu ulnarum trium & semis. Templi conditi septingentesimus annus est: Annis viginti exstructum perhibetur fuisse: idem anno abhinc quadragesimo conflagravit, ac restitutum est denno, sed nequaquam pari magnificentia materiæque præstantia, quod ipsum indicant lapideæ columnarum bases ex incendio relicte, quarum amplitudo longè majorem columnarum formam postulare liquido cernitur. Jam verò extra peristylum templi, turris lignea firmo admodum opere ingentibus triginta pilis imposita, tintinnabulum seu campanam sustinet æneam tantæ magnitudinis, ut eam dimensus præsentem me neophytus quidam, ulnarum os duarum, sex ambitum, trium & semis altitudinem, æris verò ipsius crassitudinem dodrantis unius dimidiati que compererit. Suavissimum edit sonum, exauditurque longissime. Hactenus Almeida. De quodam phano urbis Meaci, Frojus p. 202. ita: Circa Meacum in patentibus campis plurima sunt idolorum phana, è quibus adii Christianorum ductu nonnulla: in iis quoddam est Amidæ sacrum ab urbe quatuor ferè passuum millibus, à priscis Imperatoribus conditum ac subinde renovatum, longitudine ulnarum centum circiter & quadraginta: ingentes habet valvas in medio. Ingredientibus objicit sese suggestus, in quo Brachmanis habitu, perforatis auribus, mentoque & capite raso ingens Amidæ statua confidet, supra statuam quasi pro umbraculo pendent excepta catenis multa magna que tintinnabula: circa, ludentium specie triginta cernuntur milites, strictis

strictis telis armati, saltantes æthiopes, anus venefica, dæmonesque teterrimi: effingitur etiam certâ quadam imagine ventus, horrificoque aspectu tonitrua: adhæc septeni gradus ad templi totius longitudinem porriguntur: in iis ordine certo dispositæ unius Canonis, Amidæ filii, imagines omnino mille, hinc inde quingenæ, eadem omnes formâ, ore venusto, egregiè factæ, trigena brachia, totidemque manus ostentant, è quibus duo tantum ad reliqui corporis magnitudinem apta proportione conveniunt, cætera parva sunt, duo etiam lumbos præcingunt. Singulæ porro statuæ bina tenent jacula, pectus insignitæ septenis hominum vulticulis, corona capiti imposita cum diademate radiante. Sunt autem cuncta ejus templi non modo simulacra, sed etiam quæ diximus tintinnabula, & ipsæ catenæ magna obryzi auricopæ scite admodum ab imo ad summum usque verticem intectæ sic, ut fulgorem intuentes oculi ferre vix possint, locus est celeberrimus, multique eò longinquis è regionibus religionis causâ confluunt. Inde passuum intervallo duum circiter millium in summo colle ingentia tria lignea templa, ligneis item columnis mirâ crassitudine suspenduntur infimo pavimento strato laterculis lævigatis. In eorum uno colossæum immanis magnitudinis Xacæ signum, singulas habet ad dextram lævamque statuas paulò minores: à tergo autem quoddam quasi folium exurgit, ex quo sigillorum unius palmi duo circiter millia prominent, infantesque præterea bini ferè quadraginta, denique latus utrunque templi, sparis armati dæmones bini custodiunt: hæc autem aurata sunt omnia. Alterum est templum probandis & laureâ donandis scholasticis, &c. Pag. 73. Almeida ita loquitur: Templum est excelso loco, lucoque denso, & ad aspectum jucundo. In id ascenditur gradibus, quibus in imis stagnum est aquæ, nudis pauperum pedibus abluendis, non superstitione vel cæremonia sed nè templi castromata calcata commaculent. Idolis colendis optima loca diligenter exquiruntur.

Caronius de templis hæc profert: Multa templa & phana in Japonia conspiciuntur, ita ut fidem ferè superet eorum numerus, amplissima habitantur à viginti sacerdotibus, reliqua a sedecim, quindecim, & duobus, singula nempe pro magnitudine. Abutuntur autem illis Japonii ad epulandum & comestiones. Sunt enim exstructa pleraque in jucundissimis & amœnis collibus, arboribusque cinctâ, atque in illa se conferunt quando in agros exspatiantur animi recreandi causâ, nec verentur in conspectu suorum Idolorum & sacerdotum, qui & ipsi egregii sunt potiores, omnia talia peragere, qualia in comotationibus fieri consueverunt, imò constuprationes & scortationes palam ibi exercentur, quæ omnia Sacerdotes sine aliqua indignatione aspiciunt. Hægenerus addit in Notis hæc: Conspeimus aliquot eorum phana,

phana, in nullis autem talia Idola, qualia Chinenſium ſunt, vidimus, ſed in omnibus tres ſtatuas viriles diademate ornatas quaſi Reges eſſent: tres quoque ſæminarum affabrè factas, membris juſta proportione efformatis, colore candido ad ſplendorem uſque. Extra urbem Oſacka quinque vel ſex phana cernuntur, ante quorum januas ſtatuæ lignæ inſigni altitudine, ut gigantes referrent, conſiſtunt, quædam ex illis arculam tenent, in quam à Japoniis nummos cupreos, dictos Caxas, immitti vidi. Erat quoque hic parva ædes, per quam fluebat aqua celeri curſu: in hanc pauperes quædam mulierculæ conſiciebant ſchedulas papyraceas, in quibus aliquid perſcriptum videbatur.

## CAPUT IV.

*De Diebus Feſtis.*

**E**ſſi tribus tantum diebus quolibet anno conciones haberi in Japonia à ſuperſtitionis Japonicæ ſacerdotibus, Caronius referat, tamen in præcedentibus ex Jeſuitarum ſcriptis frequentiores eſſe diximus, & Caronii verba vel de quibuſdam tantum locis uni ſectæ addictis vel de ſtatis & ordinariis diebus accipienda ſunt: Præter illas concionum dies multas quoque annuas obſervant feſtivities. De his Villela in epiſt. p. 90. ita ſatur: Primum Auguſto menſe concelebrant ludos, quos vocant Gibon. (quæ vox hominem ſignificat) quod illi ludi homini facti eſſe dicantur, quorum ejuſmodi eſt ratio. Primum in urbis vicis, opificumque collegia deſcribunt pegmata excogitanda, moliendaque: inde ubi feſtus dies advenit, veluti ad ſupplicationem coit populus. Agmen curruſ quindecim vel viginti præcedunt, ſericis pretioſiſque tapetibus cooperti: in iſis pueri multi pſallentes vel tympana pulſant, vel tibiis concinunt. Singulos autem curruſ hominibus tricenis aut quadragenis impuſſos ſua quemque artificum turba ſectatur.

Alia deinde ſequuntur vehicula hominibus armatis inſtruta, ſericis item variſque priſcarum rerum monumentis ornata.

Hoc ordine pompa delubrum prætervehitur: cujuſ delubri ea celebritas eſt: quâ in re matutinum tempus omne conſumitur. Sub veſperam inde binæ lecticæ prodeunt, altera illius quem colunt Dei, lecticariis ita compoſitis, ut præſentis Numinis pon-

dere valde fatigari penique videantur: alteram aiunt eſſe amicæ cujuſdam ipſius, neque ita multo poſt, tertia lectica uxoris juſtæ geſtatur, cui ſimul ac maritus per nuntium ſignificaverit, ſe una cum pellice adventare: lecticarii ſtatim huc atque illuc lymphati diſcurrunt: itaque uxoris zelotypiam infaniamque ſignificant. Hic populus magna edit ſigna doloris atque mœſtitia: plorant multi, multique ad conſolandum Deæ animum poſitis genibus eam ſupplices venerantur: denique lecticæ conjunctæ ad phanum redeunt, atque ita ludis finis imponitur. Neque ille minus miſcrabilis error eſt. Eodem Auguſto menſe biduum tribuunt colendis Manibus mortuorum. Sub imminentem noctem in ædium foribus lampadas multas accendunt vario genere picturæ & ornatu; inde urbem totâ nocte perambulant, alii religionis, alii etiam ſpectandi cauſa: magna etiam populi vis, cum adveſperafcit, ex urbe adventantibus (ut illi videlicet opinantur) ſuorum Manibus obviam prodiſt. Ubi quendam ad locum perventum eſt, quo loco ſibi eas occurrere arbitrantur, humanis primùm verbis excipiunt: Felix (inquiunt) fauſtusque ſit veſter adventus. Jamdiu aſpectus veſtri fructu caruimus: conſidete parumper, ciboque vos ex itineris defatigatione reficite. Tum oryzam, poma & alios apponunt cibos: quibus ea per inopiam non licet, ſi aquam calidam ſecum aſſerunt: ibique totam horam morati, quaſi finem epularum exſpectent precibus eos in ſuas domos invitant, aiuntque præcedere ſe, domus inſtrudæ cauſa, parandique convivii. Ut biduum illud effluxit, accenſis funalibus oppidò plebs egreditur, lumina diſcedentibus præferens, ne ſcilicet in tenebris offendant, aut quopiam incurrant: inde in urbem reverſi, ædium teſta lapidationibus diligenter excutiunt, ne qui forte ex Manibus (a quibus nimirum aliquod ſibi metuunt damnum) occulte remanſerint: tametiſi eos miſerantur nonnulli, quod parvulos dicant eſſe, & ſi forte eos in itinere imber oppreſſerit, extingui miſellos. Interrogati Japonii, cur illis epulum præbeant, reſpondent; eos ad paradifum tendentes ſuam, qui abeſt leucarum decies millies millena millia, quod iter non minus quam triennio conſicitur, feſſos eſt via, recolligendarum virium cauſa huc divertere. Per eos etiam dies omnia ſepulchra diligenter purgant: Bonzii autem videlicet regnant. Nemo eſt enim re familiari quamvis exigua, quin ad expiandos ritè ſuorum Manes, Bonziis munus aliquod aſſerat. Idem Villela pag. 93. Anniverſaria illius diei (quo Combaxis, unus ex Divis Japoniorum ſe intra ſpecum abdidit) ſolennia, mirum quantâ remotarum etiam nationum frequentia celebrentur. Et pag. 94. Feſtos ejus (primi autoris ſectæ Icoſos) dies quotannis ita conſerta populi multitudo concelebrat, ut in ipſo cœnobii aditu, cum fores aperiuntur, obtriti aliqui



semper intereant; quibuscum ita præclare agi putatur, ut nonnulli religionis causa sese pedibus irrupentium ultro calcandos necandisque substernant. Nocte autem, oratio de laudibus ejus dum habetur, tanta auditorum comploratio oritur, ut si publice magnum aliquod incommodum ac vulnus esset acceptum. Quod itaque Villela de autore sectæ Icoxuanæ scribit, idem quoque de reliquarum sectarum autoribus intelligendum, nimirum & in illorum honorem ab earum autoribus anniversaria observari solennia. Idem Villela pergit in hunc modum citato loco: Julio mense festum diem agunt Daimaogini, quem excellenti sanctitate virum, asseclam aiunt fuisse prisca cujusdam Imperatoris. Hunc Sacajani adorant (ex urbe enim Sacajor Villela scripsit epistolam ex qua hæc excerpimus) templis compluribus ei dicatis, & ludos ejusmodi faciunt. Horis pomeridianis viam urbis longam ad passus ducentos transversis utrinque tignis ac tabulatis obsepiunt, ne plebs introspicere liceat: tum magna hominum multitudo à tribus passuum millibus eò contendit. In primo agmine idolum præcedit equo insidens, strictâ ingenti machæra, pueris duobus deinceps comitantibus, quorum alter arcum ejus & pharetram, alter accipitrem gerit, pueros multæ equitum turmæ certis insignibus distinctæ sequuntur, & magna præterea pedatum vis, qui voto sese ei celebritati obstrinxere, saltantisque concinunt, Xenzairaquu, Manzairaquu, hoc est, annos mille voluptatis, mille millena millia gaudii. Hanc turbam Bonzii primum candidati, psallentes, deinde universa nobilitas, in equis, mitrata, postremo quinque vel sex veneficæ magno mulierum comitatu linteatæ sequuntur: extremum agmen claudunt ingentes armatorum copiarum ad excipiendam Daimaogini læticam prodeuntes ad viam, quam clausam esse dicebamus. Læticam verò ipsam inauratam læticam ferunt viginti, qui varias cantilenas velut intercalari quodam carmine concludunt: Xenzairaquu, Manzairaquu. Eandem simul atque profertur in publicum, jactatâ suppliciter stipe, aliisque similibus veneratur populus. Frojus pag. 245. Deo Quanoni, Frenojamani Bonzii sacra quotannis ac ludos ingenti apparatu, sumptuque persolvere soliti sunt: quibus continuo in urbe Meaco Gibonis solennia succedebant eo pompæ ordine, hominum frequentia, commentis artificum, ut satis appareat, æmulum divinæ gloriæ Sathanam in iis locis anniversariam apud nos corporis Christi celebritatem effingere voluisse. Almeida p. 188. de eodem festo die loqui videtur dicens: Ad quæ (festa) ut apud nos ad corporis Christi solennia, omnes omnium ordinum homines ritu patrio convenire consueverunt. Vide ibid. plura. Frojus p. 190, ait: dies per annum festos agitant multos.

Porro quod festo die, emendis & vendendis rebus abstineant &

& religioni sibi ducant, manifestum est ex illis, quæ Almeida p. 77. scribit: Ex quibus etiam humanitas gentis colligitur, cum festus, inquit, è via, morboque poenè confectus, in quodam ethnicorum oppido substitissem, tametsi nullum esset cibi desiderium, tamen nè planè deficerem oryzam reformidans, putridaque piscium fassamenta (hæc enim incolarum cibaria sunt) mihi qui ova coëmeret. Is autem mihi mox ova cum ipsis nummulis retulit. Causam quærenti, respondit, incolas ova, quod dies ille festus ipsorum esset, vendere noluisse, quod ægroto quærentur, dono dedisse.

Hagenerus in Notis ad Caronium hæc addit: Solennia sacra pro demortuis, quæ Japonicâ linguâ dicuntur Bom, quotannis à singulis singularum sectarum sacerdotibus celebrantur (in quem usum peculiaria habent phana) illi cantantes quosdam sepulchrales cantus circumeunt longa serie unus post alterum aliquam structuram, quæ formam cooperti sepulchri refert, & valde similis est ritui, quem Processionem vocant, Romano-Catholici.

## CAPUT V.

### *De Religionis Christianæ in Japoniam introductione.*

Quoniam in præcedentibus falsas Japoniorum de rebus divinis opiniones, & quæ ad hanc materiam pertinebant, proposuimus, restat ut de introducta in Japonias Insulas Christiana doctrina, & quæ eam secuta est persecutio, sequenti capite pertractemus. Est enim hæc res commemoratione dignissima, cum in nullum vel Occidentis vel Orientis regnum feliciori successu religio Christiana sit importata, in nullo crudeliori profligata persecutio. Etsi enim Jesuitæ cum vero Evangelii lumine simul quosdam Pontificiæ doctrinæ errores induxerint, illi tamen tanti non sunt, ut ideo Christiana non dici debeat illorum religio, præsertim cum isthic locorum maximam rituum & cæremoniarum partem omiserint, simplicemque tantum fidem docuerint, paucis nihilominus retentis erroneis dogmatibus.

Capite primo libri præcedentis diximus, quod anno demum quadragesimo secundo supra millesimum quingentesimum à Nato Christo, primi ex Europæis Lusitani ad Japoniam delati sint. Ex illo tempore iidem frequentes illuc singulis annis navigationes instituere mercimoniorum & lucri causâ, cùmque gentem magnâ

magnâ rerum divinarum curâ duci cognoscerent, ad Franciscum Xaverium celeberrimum eo tempore Jesuitam in India, & adjacentibus Insulis propagandæ Christianæ Religionis unâ cum aliis operam navantem detulere, simulque quendam Japonium, nomine Angerum, Christianæ fidei cognoscendæ cupiditate inflammatum à Lusitanis mercatoribus adduxerunt. Hisce incitatus Xaverius anno M D XLIX post Christi natum navim conscendit à Goa discedens ad Japoniam, assumptis duobus à Societate, (qui fuere Cosmus Turrianus, & Joannes Fernandus, ambo Hispani) & Angero, cui jam tunc baptizato nomen erat Paulus à Sancta Fide, famulisque duobus Japoniis: sumptibus autem Regis Lusitani. Ita enim p. 256. ipse Xaverius loquitur: In Japonia quamdiu fuimus (fuimus autem annos duos & dimidiatum) facultatibus munificentissimi Lusitanæ regis sustentati sumus. Is enim in Japonicam profectioem aureos amplius mille assignari nobis eleemofynæ nomine imperavit: Sed audiamus de tota hac re ipsum Xaverium, qui in epistolis prolixè hæc enarrat: Pag. 125. ita: Aprili mense anni M D XLVI. (hoc enim tempore naves Malacam & Molucum petentes ex India solvunt) Malacæ mercator Lusitanus vir magnâ religione ac fide mihi de Insulis permagnis (Japoniam eam regionem vocant) nuper repertis multa narravit: ibi in Christi cultu propagando longè plus quam in quavis Indiæ parte profici posse, quod gens universa sit sciendi cupida præter cæteras. Cum hoc mercatore Japon quidam venit (Angeri nomen est) qui ex sermone cum Malacensibus habito me convenire statuerat. Is cum in Japonia pro familiaritate, Lusitanis quibusdam institoribus conscientiæ suæ aperuisset vulnera, petivit ab eis remedium aliquod sanandi animi, Deique placandi. Itaque autores illi fuerunt, ut ad me Malacam veniret. Paruit ille & in eorum conscendit navem. Sed quo tempore is Malacam appulit, ego versabar in Moluco. Ergo ille re cognitâ domum revertitur tristis (Dccc leucarum iter est.) Erat jam in conspectu Japonia, cum repente exortâ tempestate non sine periculo adversus ventus eum rejecit Malacam. Ibi de meo reditu certior factus, summo Christianæ religionis cognoscendæ studio me convenit. Lusitanicæ linguæ haud rudis est. Itaque sine Interprete inter nos agebamus. Si cæteri Japonenses similiter, ut Anger, avidi sunt discendi, profectò omnibus, quotquot repertæ sunt, gentibus ingenio antecellunt. Is cum Catechismi explicationi interesset, accuratè sanè Symboli capita referebat in libellum. Sæpe etiam in templo in coetu populi, quæ edidicerat, memoriter recitabat, & multa acutissimè percontabatur. Octavo, quam Malacam venerat, die, in Indiam contendit. Percontatus sum ex Angero, quem dixi, utrum si in Japoniam cum eo profectus essem, censeret incolas Christi sacra suscepturos.

ros. Et ille, populares quidem suos non continuo his, quæ dicerentur, assensuros esse respondit, sed multis interrogationibus exploraturos, quid afferrem religionis, maxime verò utrum dictis facta congruerent. Quotquot huc ex Japonia redeunt Lusitani mercatores, mihi confirmant, me, si eò trajecero, haud paulò melius illis in locis, quam in India operam positurum: quippe cum futura sit res cum natione, quæ facile obtemperet rationi. Prælagire videtur animus, me aut alium à Societate ante biennium in Japoniam iturum. Interim Anger Lusitanam linguam perdiscet: Indicas Lusitanorum opes, Europæorum artes, nostramque vivendi rationem cognoscet, ritè comparabit se ad Baptismum, mihi que in Catechismo, copiosaque de Christi adventu explicatione Japonicè vertenda operam dabit, siquidem perbene scribit Japonicè. Hæc Xaverius loco citato, quæ etiam in Maffei libro Histor. XIV. reperiuntur, & in vita Xaverii descripta à Turfellino l. III. cap. XII. sed pluribus additis circumstantiis, & quod Xaverius dissimulavit in suis epistolis, id Turfellinus expressè posuit, nempe Angerum illum Japonium homicidium commisisse & ob id conscientiæ stimulis, inimicorumque telis pariter exagitatam fuisse, atque remedii quærendi causa ad Xaverium in Indiam venisse, sive id ad effugiendam inimicorum snorum vim fecerit. De baptismo Angeri idem Turfellinus c. XVI. l. III. ita: Per eos dies Anger ille Japon quem à Xaverio Goam præmissum diximus, satis jam Christianis mysteriis eruditus, ab Episcopo baptizatus est cum servis duobus, & collegii nomine Paulus Sanctæ Fidei appellatus. Maffeus autem l. XIV. ait ab ipso Xaverio Angerum sacro intinctum esse latice cum famulis, quorum alter Joannes, alter Antonius nominati sint. Sed redeamus ad Xaverii epistolas. In ea, quæ ad Ignatium Lojolam autorem Societatis scripta è Cocino est anno M D XLIX die XIX Kal. Febr. hæc habet: Cum in his locis mea opera minime sit necessaria, cumque ex idoneis autoribus cognovim, Japonum regionem esse Sinis adjacentem, cujus incolæ omnes ethnicæ sint, à Saracenis, Judæisque prorsus intacti, novarumque rerum tum divinarum tum naturalium avidissimi, eò quamprimum contendere statui. Hoc ego iter suscipio magnâ animi mei voluptate; majore spe, quod planè confidam, in illa natione nostri laboris fructus solidos ac perpetuos fore. In Goano Collegio, cui à S. Fide nomen est, tres alumni sunt Japonenses (Anger & duo ejus famuli) qui eò mecum Malacâ superiore anno venerunt. Mira de Japonia narrant. Adolescentes sunt optimis moribus, acerrimo ingenio, Paulus inprimis, qui bene longam ad te mittit epistolam. Is octo mensium spatio legere, scribere, loqui Lusitanicè perdidit: nunc usitatis meditationibus haud sanè inutiliter exercetur. Religionis mysteriis est

est imbutus fatis. Magnam in spem venio, Deo adjutore Christianos in Japonia factum iri quam plurimos. Equidem primum eorum Regem, deinde gymnasia & Academias adire constitui, magno (ut spero) cum quaestu animorum. E focis unum omnino Europæum ducere mecum cogito Cosmum Turrianum Valentinum, qui hic se ad Societatem nostram contulit, ac præterea tres illos Japonios, quos dixi, adolescentes. Proficiscemur, Deo approbante, Aprili mense proximo. Abest Japonia ab urbe Goa leucas amplius mccc. Idiotam autem fuisse Angerum illum, testatur ipse Xaverius p. 153. Mandantur, inquit, Japonum religiones literis quibusdam reconditis & vulgo ignotis, quales apud nos sunt Latinae. Quamobrem Paulus (ante Baptismum Angerus) homo idiota, & in ejusmodi libris planè rudis, negat se habere quid de patriis religionibus dicat. Idem p. 149. reperitur. Porro de Angeri & duorum ejus famulorum pietate p. 172. prolixè agit, inter alia hæc ponit, ex quibus colligere promptum est, non tam superstitionibus Pontificiis quam simplicis fidei cognitione imbutos esse neophytos. Quoniam, (verba sunt Xaverii) apud nos legere & scribere didicerunt, precatione ex scripto recitant sanè diligenter. Percontanti mihi, in quo potissimum genere mediationis reperirent sensum gustumque pietatis? in Christi cruciatibus, atrocissimæque nece responderunt. Itaque in hanc lectionem, meditationemque præcipuè incumbunt. Symboli Apostolici capita, causas, cur Dei filius humanitate indutus, genus humanum ab interitu vindicavit, cæteraque Christianæ religionis mysteria per otium eis tradidimus. Interrogat à me sapius, quod tandem inter Christiana instituta potissimum ducerent, ac maximè salutare, primas semper detulerunt Confessionis & Eucharistiæ Sacramentis.

Pag. 173. His comitibus, pridie Kalendas Junias anno post Christum natum MDXLIX perveni Malacam. Vix è navi descenderam, cum Lusitanorum mercatorum literas ex Japonia accepi, ex quibus agnovi, principem quendam Japoniæ virum fieri velle Christianum. Itaque legatos ab eo ad Prætorem Indiæ misit cum mandatis, ut aliquot nostræ Societatis homines postulerent Christianæ legis magistros, &c. Pag. 178. Japones comites mei sic mihi denuntiant fore, ut Bonzii (hi sunt in Japonia sacrorum antistites) offendantur, si nos viderint carne aut piscibus vesci. Proinde nobis fixum ac decretum est, citius perpetuam inediam perpeti, quam cujusquam incurrere offensionem. Confirmat gubernator navis, nos Augusto serè medio in Japoniam perventuros.

Navigationem hanc suam à Malaca in Japoniam ipse Xaverius plenè describit epist. v. l. III. hunc in modum: In Japoniam divino Numine obsecundante appulimus mense Augusto, cum  
Malaca

Malaca solvissemus ipsa Natali S. Joannis Baptistæ die. Navigio vestri sumus Ethnicus mercatoris Sinæ, qui Malacensi Præfecto nos in Japoniam transmissurum promiserat. Ac Dei beneficio secundis sanè ventis usi sumus. Verùm (ut in barbaris perfidia dominatur) Navarchus mutato consilio, omittere Japonicæ navigationis cursum cœpit, ac temerè in occurrentibus insulis terendi temporis gratiâ commorari. Duo erant, quæ nos præter cætera molestissimè ferebamus: primum quod secundissimo vento divinitus oblato abuteremur, qui si defecisset, nequaquam possemus Japonicum cursum tenere, sed in Sinarum finibus hyemare, & idoneam rursus tempestatem expectare necessariò cogermur. Deinde, quod navicularius & nautæ idolo, quod secum navi vehebant, passim nobis invitit & frustra impedire conantibus, execranda facerent sacra, sortibusque Dæmonem identidem consulerent, utrum ex usu esset in Japoniam pergere, neene: & simul exquirerent, an secundâ navigatione cursum tenere possemus? ac sortes (ut ipsi aiebant) modò lætæ, modò tristes edebantur. Millia passuum ccc. provecti ad insulam quandam applicuimus navim, ibique materiam atque armamenta comparavimus adversus atrocissimas Sinici maris tempestates.

Indè illi sacrificiis multis superstitione factis, eductisque denuò sortibus sciscitari ex Dæmone, utrum ventis secundis usuri essemus. Forte fors exiit, quæ ventum nobis polliceretur secundissimum. Itaque nullâ interpositâ morâ, sublatis anchoris gratulandi vela facimus. Illi Idolo suo freti, quod in puppi cereis & odoribus ex Aquilano ligno incensis summè venerabantur: nos Deo, cœli, terrarum, marisque Moderatore ac Jesu Christo ejus filio consisti, cujus religionis propagandæ causâ Japoniam petebamus. In cursu cum essemus, visum est illis rursus ductis sortibus exquirere ex Dæmone, num ea navis ex Japonia Malacam incolumis esset reditura? edita fors est, in Japoniam quidem eam perventuram, sed nequaquam reversuram esse Malacam.

Tum verò illi hæere: demum omisso in præsentia cursu Japonico apud Sinas hybernare, & Japonicam professionem in proximum annum differre statuunt. Ergo cum lente proveheremur, ad Cocinum, Sinarum portum, duo uno die sanè graves nobis casus inciderunt. Nam die S. Mariæ Magdalenæ sacro, sub vesperam, intumescente fluctibus, ventisque agitato vehementius mari, cum navis jactis anchoris fluitaret, in fallo, Emanuel Sina, unus è nostris comitibus, navis jactatione prolapsus in apertam sentinam præcipitavit. Omnes illum mortuum credidimus, quod & altè ceciderat, & sentina aquæ plena erat. Verùm Dei beneficio mortem evasit. A capite obrutus umbilicatus tenuis aliquantisper hæserat in sentina. Itaque magno labore hominem

minem extraximus graviter in capite vulneratum. Diu exanimis jacuit: sed Dei benignitate demum revocatus est ad salutem. Sub primam hujus curationem, ecce tibi, pari navis jactatione, Navarchi filia excutitur in mare, cumque propter vim tempestatis frustra ei opitulari conati essemus, in parentis ipsius atque omnium oculis propter navim obruitur fluctibus. Ergo tanti ejulatus, ac gemitus diem illum noctemque insequentem tenuerunt, ut species esset admodum flebilis ac miseranda vel ob morem barbarorum, vel ob nostrum omnium periculum. Inde barbari ad idolum sacrificiis ac caeremoniis placandum versi, diem noctemque totam, nullam quietis parte captam, mactandis avibus, apponendisque idolo epulis consumpserunt. Tum Navarcho, Cur filia sua interiisset, fortibus percontanti, fors editur: Si Emmanuel noster in sentina periisset, ejus filiam nequaquam fuisse perituram. Videtis profecto, quanto in periculo versaremur, &c. Cum maris tempestas remisisset, sublatis anchoris vela fecimus, & lacrymabundi intermissum iter perreximus. Paucis diebus Sinarum portum (cantonium ipsi appellant) cum tenuissemus, nautae atque ipse navarchus ibi hyemandum esse censuerunt. Nos illis adversari, partim rogando, partim minitendo, de eorum perfidia cum Praefecto Malacae ac Lusitanis exposulatos. Itaque Deus pro sua bonitate eis mentem dedit, ut in Cantonis Insulis non haerent, sed sublatis anchoris Cinceum peterent.

Quocirca secundo vento proVecti, paucis diebus Cinceum, alterum Sinarum portum subituri erant eo consilio, ut ibidem hybernarent, quoniam jam cursus Japonici tempestas poene exacta erat, cum subito navicula advolat ad nos, portum illum praedonibus obsessum esse nuntians, actum fore de nobis, si propius accederemus. Hoc nuntio commotus navarchus, & simul quod cerneret Cinceorum praedonum myaparenes non amplius quatuor millia passuum a nobis abesse, ut praesens periculum vitaret, portum illum vitare constituit. Cumque ventus Cantonium portum repetenti adversus, Japoniam petenti secundus esse, invito navarcho, nautis, ipsoque Diabolo, Japonicum cursum tenuimus. Ita ad has regiones, tantopere a nobis exoptatas Deo aspirante pervenimus, ipso die Beatae Mariae in coelum assumptae sacro xvii. Kalend. Septemb. anno M. D. XLIX.

Et quoniam alium portum capere non licuit, Cangoximam, quae Pauli a S. Fide patria est, applicuimus, ibi tum a Pauli cognatis atque affinibus, tum etiam a caeteris oppidanis perbenigne accepti sumus.

Haecenus jam vidimus, quomodo in Japoniam Xaverius religionis Christianae primus isthuc locorum autor penetraverit cum Japone Angero primo Neophyto. Nunc itaque quid effectum sit,

fit, porro cognoscamus Pag. 206. idem Xaverius ita loquitur: In patria Pauli S. Fidei (quem verum nobis germanumque amicum experti sumus) Praefectus urbis, cives primarii, cunctaque civitas benigne admodum nos excepit. Novos quippe e Lusitania sacerdotes magna omnes cum admiratione visabant. Haud iniquo animo ferunt, Paulum factum esse Christianum, sed eum potius suspiciunt, eidemque cum cognati omnes, tum caeteri, qui aliquam eum necessitudinem attingunt, gratulantur, quod Indiam accesserit, easque res viderit, quae indigenarum nemo praeter ipsum. Aberat Regulus leucas a Cangoxima sex. (in arce Saxuma) Is, cum ad eum Paulus venisset salutatum, magnopere de hominis reditu est laetatus, magnamque illi honorem habuit. Multa etiam de moribus, de virtute, de opibus Lusitanorum sciscitatus: cui cum Paulus omnia exposuisset, maximopere visus est ejusmodi sermone delectari.

Attulerat secum Paulus egregie pictam in tabula beatae Mariae & pueri Jesu in matris gremio sedentis imaginem, quam ex India advexeramus. Hanc igitur cum Regulus ab illo prolatam aspexisset, obstupuit scilicet, confestimque & ipse positus genibus pie admodum veneratus est, & omnibus qui aderant, idem ut facerent, imperavit. (caeterum ultra imaginis venerationem progressus non est, inquit Turfelinus) Eandem tabulam deinde Reguli mater contemplata, mirificam cepit admiratione mistam voluptatem, paucisque diebus, quibus Paulus revererat Cangoximam, certum hominem misit sane honestum, qui inde fumentum quoquo modo curaret exemplum. Verum cum ejus rei facultas Cangoximae deesset, negotium confici haud potuit. Eadem mulier per eundem postulavit a nobis, uti sibi Christianae religionis capita literis consignata traderemus. Itaque Paulus cum in ea re dies aliquot posuisset, multa de Christianorum mysteriis atque institutis conscripsit patriam linguam (paruit quidem mulieri Paulus, sed illa Deo haudquaquam paruit, ut iterum Turfelinus loquitur.) Illud mihi credite & simul Deo gratulamini, latissimum vobis campum aperiri, ubi vestra jam concitata pietas excurrat. Nos Japonice si sciremus, jamdudum hanc vastitatem non sine magno animorum fructu coluissimus. Paulus quidem propinquis aliquot & amicis, dies noctesque Evangelium sedulo praedicans, conjugem, filiam, cognatosque ac necessarios complures ad Christi fidem adduxit. Neque, at nunc est, consilium eorum, qui Christiani sunt, vulgo improbatur. Atque ut Japonii maximam partem literas sciunt, brevi nostras preces addiscunt.

Faxit Deus, ut ad divinarum explicationem rerum, Japonicam linguam discamus quam primum, tum demum aliquam Christianae rei navabimus operam. Nam nunc quidem inter eos tanquam multae quaedam statuae versamur.

Multa

Multa enim illi de nobis & dicunt & agitant, ad quæ nos scilicet obmutescimus patrii ipsorum sermonis ignari, &c.

Pag. 218. Hoc ipso anno, Bonzii duo in Meacensi ac Banduensi Gymnasio eruditi, & cum his alii Japones complures ad religionis nostræ mysteria cognoscenda veniunt in Indiam.

Die, qui S. Michaëli festus fuit, cum Regulo Cangoximano congressi sumus, qui nos perhonorificè acceptos (causam hujus simulatæ humanitatis à Xaverio omissam infra ponemus) commonefecit, ut monumenta Christianæ legis quam diligentissimè custodiremus, quam si veram probamque esse perspexisset, enimvero futurum ut Diabolus disrumperetur. Paucis autem diebus interjectis, potestatem fecit omnibus, qui in suo imperio ac ditione sunt, Christianam religionem suscipiendi. Hanc hyemem in Symboli capitibus Japonicè paulò copiosius explicandis consumemus, eo consilio ut explicationem typis imprimamus, quo quam plurima loca literarum beneficio, quarum plerique Japones gnari sunt, Christiana religio pervagetur. Paulus quidem noster fideliter in patriam linguam convertet omnia quæ ad animorum salutem necessaria videbuntur.

Pag. 193. Sæpe congressus sum cum quibusdam eorum (Bonziarum) qui sapientiâ cæteris præstant, ac præsertim cum eo, quem in his locis cum propter doctrinæ famam & amplitudinem sacerdotii, tum verò propter affectam ætatem (jam enim est octogenarius) omnes observant atque suspiciunt. Is apud eos instar Episcopi est, & Nitrix (quod Japoniorum lingua significat cor Veritatis) appellatur: felix planè, si hoc nomen in eum quadraret. Hunc ego in sermonibus, quos cum illo plurimos habui, nutantem atque incertum offendi, utrum animus noster immortalis esset, an simul cum corpore interiret; neque enim sibi constabat, sed tum aiebat, tum negabat. Malè metuo, nè hujus cæteri similes sint literati. Incredibile est, quam is me unice diligat: vulgòque omnes tum Bonzii, tum alii nostrâ consuetudine delectantur plurimum. Illud autem maximè mirantur, nos indè usque è Lusitania in Japoniam (quod iter leucarum est amplius sex millium) contendisse hanc unam ob causam, ut cum eis de rebus ageremus divinis. Unum est, quod scire vos vehementer volo, ut ingentes Deo gratias agatis: hanc insulam ad excipiendum Evangelium satis idoneam ac paratam esse: ac si nos linguam calleremus Japonicam: non dubito quin plurimi fierent Christiani. Quadraginta diebus tantum profecimus, ut jam decem præcepta Japonicè explicemus.

Turfellinus in vita Xaverii pag. 293. de difficultate linguæ Japonicæ addiscendæ multa præfatus, hæc demum addit: Franciscus (Xaverius) Japonum linguam utcunque sibi addiscendam existimans, cum capita Christianæ religionis à Paulo Japone li-

teris mandanda curaret, in magnas incidit salebras. Paulus, quippe homo idiota, nihilo melior interpret erat, quam magister. Et quanquam plus etiam eniteretur, quam poterat, minus tamen efficiebat, quam res postulabat. Nam capita illa adeò perperam interpretabatur, ut oratio neutiquam cohæreret: ita porro non possent sine risu. Xaverius porro p. 224. ita loquitur: Ut nostræ religionis veritatem perspicerent (Cangoximani) annum totum ibidem, eoque amplius commorati sumus, quo temporis spatio ad Christi ovile compulsi amplius centum. Turfellinus l. IV. c. 111. describit miracula duo, quorum uno puella mortua in vitam sit revocata per Xaverium, altero leprosus curatus. Sed id credat, qui potest. Sanè ipse Xaverius ejus nè verbo meminit, nec Maffeus in historiam suam retulit. Primum autem, qui Cangoximæ Christianus factus sit, Bernardum vocatum fuisse refert idem Turfellinus. Hæc itaque fuit prima Christiana Ecclesia in Japonia, nimirum Cangoximæ: ea autem quo minus accresceret, Regis interdictum de non suscipienda Christiana fide fecit. Ejus causæ duæ fuerunt, quarum alteram, nimirum Bonziarum machinationes, Xaverius loco jam citato fuse explicat, alteram autem eamque præcipuam omisit vel potius dissimulavit, ignorasse enim non potuit: posuere autem eam & Turfellinus & Maffeus, sed hic clariùs. Itaque hujus narrationem audiamus, quæ l. XIV hæc est: Indè haud leviter commoveri civitas cœpta, nostrisque non ad magistratus modo, sed etiam ad Regem, qui tum extra oppidum agebat, Paulo præsertim adnitente, facile patuit aditus. Commercium is Lusitanorum avidè jamdudum expetebat, quos ad vicina emporia cum pretiosis oneribus commeari didicerat: apud eos quod plurimum gratiâ & auctoritate Xaverium valere Paulus & famuli testarentur, valde sese illi comem & humanum initio præbuit, ac prædicandi Evangelii & baptizandæ ritu Christiano gentis potestatem haud gravatè concessit, eaque de re publica edicta proposuit. Inter hæc negotiatores Lusitani cum mercibus Firandum regni Figensis appulerant. Id ubi Cangoximæ cognitum est, periniquo tulit animo Rex, vicinos dynastas insperatis augeri opibus, at se diuturnâ lucri adventitii expectatione frustrari.

Ex eo tempore sensim averfari Xaverium cœpit, & ab ipsius doctrina præceptisque refugere. Bonzii quoque posteaquam Christianis institutis vitia sua reprehendi, discipulos & sectatores ab se avocari animadverterunt, immutatâ subito voluntate, Xaverium execrari, fictis criminibus ipsum & socios in invidiam adducere, offensum jam Regis animum novis indicibus instigare: neque ab incepto desistere, quoad revocato priore edicto, rursus poenâ capitali sancitum est, nè quis omnino, relictis pa-